

11,79.



Frid: Augustus: D: G:
Rex Poloniæ: S: R: I:
Archim: et Elector:
Saxon:.

DAVIDIS PEIFERI
CONSILIARI Saxonici
EPISTOLAE

PVBLICO NOMINE SCRIPTAE
STATVM ECCLESIAE ET REIPVBLI-
CAE SVB AVGVSTO SAX-
ONIAE ELECTORE EGRE-
GIE ILLVSTANTES
PRIMVM NVNC EDITAE
CVRA

M. FR. GOTTH. GOTTERI

RECTORIS EISENBERG.

PRAEFATIONEM PRAEMISIT
IO. FRANCISC. BVDDEVS

THEOL. D. ET P. P. O.




IENAE
SVMT. HENR. CHRSTOPHORI CRÖKERI BIEL.
M. D. CC XXI.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTIIS.
SIMO DOMINO

DOMINO
IO. FRIDERICO
BACHOVIO
LIBERO BARONI AB ECHT,
S. CAES. MAIESTATIS IN SE-
NATV IMPERII AVLICO CONSI-
LIARIO SPLENDIDISSIMO
SERENIS DVCIS SAXO GOTHANI SVM-
MO STATVS MODERATORI ET
SANCTIORVM CONSILIORVM
DIRECTORI SVPREMO

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.



¶ (o) ¶

ILLVSTRISSIME EXCELLENTISSIME QVE
DOMINE.
DOMINE GRATIOSISSIME,



Onsiliorum permagna sunt
tum ad depulsionem ma-
li tum in secundo vita
cursu tenendo , vilita-
tes. Demissio scilicet est animi in pro-
priis difficultatibus & hastatio ; pru-
dentia & praesidium in amico. Con-
silium enim alterius non ea suadet,
que perturbati hominis animus , at
multa maiora & moderatiora suadet ;
cum non vehementia aut velocitati-
bus res magna semper gerantur , sed
consilio atque sententia. Neque etiam
hoc auctoritate inferius ducatur , ne-
mo enim est tam prudens , tamque
in negotiis versatus , qui non consi-

) (z

lium

lum expediet. Nec dubitat Deus immortalis, quamuis sapientissimus, voluntatis quasi socios & participes adsumere eos, quos in sanctissimo Trinitatis veneramur collegio. Gloriosum potius, quam odiosum, consilia promere. Regis metuo rationes, ne consilia postulent? Omnipotens prudens consiliarii vox splendescit, nescio qua egregia fulgura in Principem; & perlustrari possunt Principum aulae. Nihil necesse est mihi, longinqua repetere, sed ad domestica proposito. Et ita multi sunt & fuerunt Germaniae beatissimi Principes, ut nullum felicitatis aut gloriae munus ipsis denerari possit: at id quidem saepe ministrorum consilio. Augustus Saxonie quondam Elector mihi in oculis est, quem felicem Principem nominare, partemque huius felicitatis consiliariis, & in primis Dav. Peifero tribuere nullus dubito. Quorsum autem haec?

vt

Ut appareat, si felicitatem nostro tempore aularum, si cum primis Gothanae considerare velimus, magnam partem assignandam esse consiliariis, et hic quidem TIBI Illustrissime BACHOVI, qui effecisti, ut Serenissimo FRIDERICO subjecti ciues omni fortunarum genere florent. De industria igitur feci, ut Excellentesissimi olim consiliarii epistolas publici iuris faciens, TE summum et perfectissimum nostrae etatis Consiliarium eligerem, cuius statim Illustrissimum Nomen toti operi auctoritatem adiungeret. Quid enim TE, Domine gratosissime, illustrius eligi ad hoc institutum potuisset, cuius admirabiles prudentia, incredibilisque bonitas omnium sermone celebratur? Non dico haec frustra: Scio enim in his duobus summam consiliarii consistere; scio aequitatem TVAM undique laudibus cumulari. Cumque

non mea sponte , sed certo quodam
augurio , & felici , ut credo , omnime
hoc negotium suscepserim : humillime
precor , ut gratia T V A id tegere
velis. Accipe igitur Domine gratio-
sissime , quod antea TVVM erat ,
TV A que gratia gratiam apud omnes
buic labori concilia~~X~~ Vale Illustrissi-
me Domine , & in Serenissimi FR I-
DERICI gaudium , terrarum IPSI
subjectarum incrementum , meumque
tandem fortissimum solamen atque
præsidium diu age quam felicissime :
& in primis hoc circumacto anni
tempore per novi anni decursum felicis-
simos dies facias. Hoc opto , hoc arden-
tissimis apud Deum precibus efficere co-
nabor , qui

DOMINI MEI GRATIOSISSIMI
ILLVSTRISSIMVM NOMEN

Dab. Iena IV. Non. Ian.

A. O. R MDCCVIII.

demissè veneror

FRID. GOTTH. GOTTERVS

LECTO-



LECTORI BENEVOLO.

S. D.

IO. FRANCISCVS BVDDEVS.



Vm communi omnium
consensu illorum institu-
tum laudetur, qui
clarorum virorum e te-
nebris in lucem profe-
runt epistolas, non tamen idem est,
quod in iis placeat omnibus, quodue
in illis, suas expleturi cupiditates,
quaerant. Sunt, qui sermonis ele-
gantiam & decus sectantur, alto conte-
mnentes cuncta superciliosi, si vel vnicā,

a

quae

quae teneras aures offendat, vocula,
 sermo commaculetur: sunt, qui
 mores, fata, vitia, virtutes, molimi-
 na, singularia, arcana, eruditorum,
 ex illorum cognouisse epistolis, iu-
 cundum putant, his magis intenti de-
 liciis, quam grauissimis alii consiliis,
 cum de summa reipublicae certatur,
 aut imperii salus deuocatur in discri-
 men: sunt denique, qui grauiora se-
 etantes, ad reipublicae aut ecclesiae
 cuncta referunt usum, utriusque &
 statum, & fata illorum, per quos
 dispensanda ea fuerunt, mores, lau-
 dabiliterque aut perperam facta, li-
 beriorique interdum exposita in epi-
 stolis stilo, ex iis cognoscere, opera
 demum premium ducunt. Et ita hoc
 quoque exemplo comprobatur, va-
 ria esse hominum studia, varias pro-
 pensiones, cupiditatesque mirifice in-
 ter se dissentientes. Quinam autem

ex his

36 (o) 56

ex his laudandi maxime aut vituperandi sint, si ex me quaeras, ita sentio, & ita animum induco meum, iustas singulos sui instituti nec reprobandas habere caussas, posse tam & omnes hic a recto aberrare tramite, si quod, iudice Cornelio Tacito, tam difficile est, in sapientia modum non feruent.

Laudandi namque magnopere sunt, qui sermonis puritati & nitori studentes, doctorum virorum eleganter scriptas epistolas in pretio habent. Namque eo minus hoc eis vitio vertendum, quo rarius inueniuntur, qui aut Ciceronem ex antiquis, aut Angelum Politianum, Manutium, Muretum & paucos alios eiusdem generis, inter recentiores, aequent. Neque omnes ad placidum ac planum, quod epistolis, praesertim ad familiares scriptis, proprium est, dicendi

genus exprimendum apti sunt, et si ceteroquin viri saepius eloquentes, nec ignari latini sermonis. Paucioribus etiam haec contigit felicitas, ut stilum accommodare argumento queant, obstante interdum indole ipsa singulari eaque inexpugnabili, ne quas velint, sequi dicendi formas queant. Si quibusdam itaque haec contigit felicitas, ut apte concinne que, obseruato charactere cuique argumento proprio, mentis exprimere cogitata queant, idque ut faciant, omnem secum, cum ad scribendum accedunt, adferant industriam, illorum ut laudentur magniue aestimetur epistolae, par est, & aequitati conueniens. Errant tamen, qui omnem sapientiam aut eruditionem verbis circumscribunt, statimque fastidiunt, quod non lepide scriptum, non tam doctrina mentem replet, quam numero

¶ (o) ¶

mero & sono aures titillat. Plane
ac si solum corpus hominem consti-
tuat, nec mens ad eundem requira-
tur, aut indignus hominis nomine sit,
qui corpore est deformis, et si idem
mente pulcherrima praeditus. Licet
enim gratior virtus sit, quam corpo-
ris quoque forma commendat, non
minus tamen & haec virtus est, quae
isto praesidio destituitur, vti contra,
si vtraque coniungi nequeat, mens
pulchra infinitum praestat, corpore
formoso. Sic vero & sermonis de-
cus & elegantia, si cum rerum cogni-
tione coniungatur, tum demum praef-
stans quid & eximum inde efflo-
scit, nec tamen sua defraudanda lau-
de praestantium rerum cognitio, et si
ornamento hocce destituta, immo
praeferenda sermonis elegantiae, si
vtraque haberi nequeat.

Ita ergo cum aequa lance cun-
cta trutinare ratio iubeat, parum ab-

a 3 est,

est, quin in alterum extremum pro-
currant illi, qui rerum tantum, non
verborum, sermonisque rationem in
epistolis eruditorum habent. Quan-
quam & hi, vti antea dictum, inter
se non conueniant. Cum magnum
sane in orbe strepitum concitent, qui
litteris operantur, cum primis qui eru-
ditionis gloria piae reliquis eminent,
eoque ipso multorum, qui se itidem
litterati orbis ciues profitentur, in se
conuertant oculos animosque ; mi-
rum non est, si multos cupido ince-
dat, res illorum paulo intimius no-
scendi. Nec vituperandum hocce
studium, modo iustis circumscriba-
tur limitibus : hoc est, ad veritatis in
rebus magni momenti cognitionem,
cuncta referantur. Qui minutiis in-
haerent, eximium quid se praestitisse
opinantes, si de poculis, vestitu, cal-
ceamentis virorum celebrium aliquid
notar-

¶ (o) ¶

notatu dignum obseruauerint, seipso
traducunt misere, sapientioribusque
ridendos propinant. Nec rectius sa-
piunt, qui ad mentem delectandam,
suauique voluptate demulcendam, ta-
lia sectantur, non tam tempus, quam
seipso fallentes turpiter, perdendo
tempus, quod longe rectius colloca-
re poterant. Aequi graui, si non gra-
uiori se obstringunt crimine, qui eru-
ditorum epistolas scrutantur, ut vitiis
forte & naeuis magnorum virorum
detectis, habeant, quod culpent, ri-
deant, perstringant, suorum saepius
vitorum in eo quaerentes excusatio-
nem, quod alii aut maiora, aut ae-
que magna commiserint. Et quis
omnes humanae stultitiae recessus aut
inuestigabit, aut producet in lucem,
in pretio quoque eruditorum episto-
lis statuendo, multis modis se pro-
dantis.

Sapere demum p[re]re reliquis si-
bi videntur , qui prudentiae & ciuili
& ecclesiasticae consultum cupiunt,
laudantes ideo ea tantū , quae in
eruditōrum epistolis illam instruunt.
Nec falluntur hactenus , quod pru-
dentiae primum , si cum rerum va-
riarum cognitione , aut sermonis ele-
gantia comparetur , locum tribuunt.
Prudentia si homini desit , idem est ,
ac si orbis sole destituatur. Parua
gloria est , esse doctum , esse diser-
tum , si prudentia non demat stulti-
tiae maculam. Haec non priuato-
rum modo , sed ecclesiae , sed reipu-
blicae , consulit commodis ; quae si
non subueniret mortalium rebus , &
doctissimis , & disertissimis viris , aut
esuriendum , aut pereundum esset.
At prudentiae quoque opus est , iusta
rebus omnibus statuere pretia. Non
itaque contemnet vir vere prudens
etiam

etiam in eruditorum epistolis, quae aut ad ornandum sermonem, aut amplificandam litterati orbis historiam pertinent. Rebus omnibus suum detrahere pretium, ut nostrae saltem opes valeant, stultitiae signum est, tantum abest, ut viro prudenti conueniat. Obseruabit itaque prudentiae cultor, quae ecclesiae, quae reipublicae statum pandunt, faciem si-
stunt, bona malaue exhibent, ut haec fugiat, illa consecetur, cetera, quae nec sua vtilitate carent, suo quaeque loco, suoue ordine disponet.

Operae pretium esse ducerem, quae ciuilis pariter ac ecclesiastica prudentia ex eruditorum epistolis capere commoda queat, exponere latius, nisi iam ab aliis hoc demonstratum esset abunde. Et ipse quoque, ad ecclesiasticam quod attinet prudentialiam, aliquod huius rei dedi spe-

cimen, cum anno M D CC III. *supplementum epistolarum B. MARTINI LUTHERI*, coelestis doctrinae restauratoris felicissimi, seu partem earundem tertiam, in lucem proferrem publicam. Ex quibus, quod velut in transitu moneo, ut insignis redundare utilitas ad omnes potuit, qui in iis fidem, fortitudinem, zelum veritatis euangelicae summum, animum intrepidum atque constantem in aduersis, candorem insuper atque pietatem, masculinque in rebus agendis prudentiam viri summi, consipientes, exemplum sibi constituere volunt, ad quod suos componant mores, ita quod cuncta in deteriorem trahant partem, qui gloriae & famae viri beatissimi inuidentes, tum demum egregium se edidisse facinus putant, si nullam existimationi eius detrahendi occasionem praetermittant,

35 (o) 56

tant, neutquam miror. Iampridem enim in morem abiit, vt is caussam ecclesiae suae quam fortissime agere censeatur, qui quam atrocissimas in aduersarios coniicere contumelias dicit. Hoc suo comprobauit exemplo, auctor recensionis huius supplementi, quae extat in *diario eruditorum Parisiensis* anno M D CC IV. num. VI. * Omnibus enim qui in Ephemeribus hisce conficiendis elaborant, id tribuere nolim, cum viros clarissimos inter eos esse sciam, quibus haud dubio moderatiora placent. Scilicet, quia ioco aliquando Lutherus dixit, se Camerario rescripturum Turcice, quod is Graece ad se scripsisset, ne & ille, quae scripsisset, intelligeret, Graecae linguae rudis fuit. Tam lepide iste argumentatur. Stili autem

* *Journal des ſçauans pour l' année MD CC IV.*
num. VI.

autem elegantiam, obseruationes criticas, arcana historica in epistolis Lutheri, quod frustra quaeruntur, id sane pretium earundem non immittuet, cum longe grauioribus emolumentis istud compensetur, quod non scriptum modo a me, sed comprobatum luculenter est, & ex ipsa epistolarum viri & theologi incomparabilis, lectione, comprobari satis potest. Imaginem hominis vere christiani & cordati, & theologi consummati, quod ut in reliquis Lutheri scriptis, ita & in epistolis eius, licet naeuorum, quae sanctissimis viris etiam adhaerent, non fuerit expers, conspicere liceat, iudicabit, qui animum praejudicatarum opinionum vacuum, ad illorum lectionem attulerit. Hostes Lutheri, quod eam ibi deprehendere nequeant, prauis suis imputent affectibus, caliginem adfundenti-

¶ (o) ¶

dentibus intellectui. His nec illud placet, ne nihil non displiceat, quod munuscula per Spalatinum ab Elec-
tore petierit, aut impetraverit. Grande crimen! Cumprimis in ma-
trimonio Lutheri, cuius non semel in epistolis a me editis, mentio iniici-
tur, sibi inuenisse visi sunt, quod Lu-
thero exprobrarent. Nimirum casti
matrimonii encomium laudesque
aegre ferunt, qui commixtiones im-
purissimas, omneque libidinum ge-
nus, in suis aut tolerant, aut adpro-
bant. Itane crimen est, procreata
sobole genus augere hominum! An
potius execranda & nefanda quaevis
admittere, ne sacri ordinis rationes
turbentur, aut ecclesiastici status im-
perium labefactetur? Habent, ni fal-
lor hic Romanenses, quod domi
agant, si modo vitam moresque ipso-
rum Romanorum Pontificum consi-
dera-

derare velint. De reliquis enim dicere nihil attinet. Flagitia eorum, testantur historiae, loquuntur annales, nulla aetas tacebit. Fortem intrepidumque Lutheri laudavi animum: eumque vel ex epistolis eius elucescere, dixi. Non me huius instituti poenitet. Res ipsa hoc loquitur. Utinam illos praecipitiae suae, ne quid grauius dicam, poeniteret, quod Principum, eius caussam suscipientium, patrocinio fretum, intrepidum facile fortemque esse potuisse, scripserint. Quam enim istud patrocinium eum neutquam tutum praestiterit, vel ex ipsis hisce epistolis, si alia rerum documenta deessent, abunde intelligeretur. At vitio vertitur, quod de infernalis genii insectationibus, vexationibusque, subinde conquestus fuerit. Mirum. Quasi non Christiani omnes, sanctissimique ecclesiae

36 (o) 5

iae doctores hunc sibi insidianem
inimicum agnouerint! Quasi non ipse
Paulus apostolus eandem instituerit
querelam! Ergone proscribendus ex
orbe diabolus, & ridendi omnes,
quotquot de eius vexationibus con-
queruntur! Pronos ad hoc multos es-
se scio: idem vero, an per ecclesiae
suae sacra, qui haec in Luthero cul-
pant, facere possint, dubito. Et hu-
ius quidem rei memorem esse oport-
ebat censurae huins auctorem. Lu-
dicra & leuia sunt, quae porro obiici-
untur, & indigna, in quibus refallen-
dis, diutius commoremur.

Vt redeam itaque ad id, vnde
digressus sum, immo potius ad caput
rei, caussamque scriptioris huius ac-
cedam, cum paucissimae sint episto-
larum collectiones, in quibus quis-
que, quod sibi placeat deprehensi-
rus sit, illas præ ceteris utiles esse
cen-

¶ (o) ¶

censeo, quae et si non omnium, plurimorum tamen, saltem sapientiorum, votis satisfaciant. Ex harum numero eam esse, quam vir clarissimus FRID. GOTTHELF GOTTERVS nunc in lucem profert, adserere nullus dubito. Quantus vir fuerit DAVID PEIFERVS, summis in aula Electorali Saxonica honoribus perfunditus, grauissimisque idem negotiis adhibitus, quantamque apud omnes & eruditionis & prudentiae obtinuerit opinionem, nemo, nisi rerum Saxoniarum plane rudis, ignorabit. De eruditione testatur *Lipsia* eius, seu *originum Lipsiensium libri quatuor*, cura viri doctissimi & de republica tum sacra, tum litteraria, optimae meriti, ADAMI RECHENBERGII, theologi Lipsiensis longe celeberrimi anno M D CC editi, quibus quae praemissa est Peiferi vita, fidem & reliquis
ano-

a nobis dictis faciet. Sub Augusto
 Electore Saxoniae Peiferum vixisse
 constat, cuius, ut idem auctor do-
 ctitissimus, in vita Peiferi, refert, ea erat
 celebritas, & auctoritas, in Germa-
 nia & apud exterias nationes, ut Prin-
 cipes certatim oratores suos ad ipsum
 mitterent: ante omnes Imperator,
 deinde Reges Hispaniae, Galliae,
 Nauarrai, Angliae, Poloniae; item
 Electores & Antistites, Moguntinus
 Treuirensis, Coloniensis, Branden-
 burgicus, Bremensis, VVurzburgi-
 cus, VVormatiensis; tum duces Au-
 striae, Bauariae, Hassiae, Brunsvigii,
 Megaloburgi, Pomeraniae, VVür-
 tenbergiae, Lauenburgi, Ascaniae
 Lignitiae; & Sabaudiae, Mantuae,
 Ferrariae, Parmae, Finalii, res etiam
 aliquot publicae insigniores, Vene-
 ta, Genuensis, Lubecensis, Aquen-
 sis, & Dantiscana, quibus de Princi-

b

pis

pis suis sententia Peiferus responſa tam
ſcripto comprehenſa, quam viua vo-
ce dederit, modo lingua Germanica,
modo Latina, ſemel etiam atque ite-
rum Italica, ſicuti res & homines fe-
rebant. Non rarius ad Principum
litteras ei respondendum fuit, quae
eodem auctore teſte, adeo frequen-
tes vndique aduolabant, vt nullus
dies transiret, quo nihil harum per-
ferretur. Et huius quidem rei ali-
quod documentum epistolæ hæ
Peiferi exhibit. Quibus si vel fo-
lium Peiferi nomen auctoritatem non
conciliaret, ſua tamen utilitate facile
ſe commendaturae eſſent omni-
bus.

Stili ſi quis in epistolis requirat
elegantiam atque nitorem, dicendi
genus purum, graue, ciuilibusque
negotiis accommodatum, in illis de-
prehendet. Minutias enim ſectari,

vti

vti Grammaticorum est, ita stilum
 rebus ipsis attemperare, seruata, quan-
 tum fieri potest, sermonis venustate
 Politicorum, qui litterarum bonarū
 vsum ad vitam ciuilem transferre di-
 dicerunt. Nec in anes ab harum epi-
 stolarum lectione discedent, quibus
 res litteraria curae cordique est. Lae-
 tabuntur potius, atque in sinu gau-
 debunt, cum epistola non a gelima
 secunda legerint, quanti eo tempore
 in aula Saxonica factus IOANNES
 STVRMIVS, bonarum litterarum in a-
 cademia Argentinensi doctor longe
 celeberrimus. Aequenim ad magni
 momenti consilia aptum se credet
 quilibet, qui qualicunque sermonis
 Latini notitia, SVTRMIO se compa-
 randum censuerit. Qui vero reipub-
 licae & ecclesiae, qui eo tempore,
 Praesertim in Saxonia fuit, statum,
 accuratius per noscere, cupiunt, ciuilis

b 2

pari-

pariter ac ecclesiasticae prudentiae
praesidium inde hausturi, eos demum
hacce accuratius perlustrasse litteras
non poenitebit. Pleraque enim in
hoc argumento occupantur, idque
plutibus euincerem, statum ecclesiae
& reipublicae ex iis tum in aliis re-
gatis, & rebus publicis, tum maxime
in Saxonia egregie intelligi posse, nisi
doctissimus harum epistolarum edi-
to GOTTERVS, peculiari dissertatio-
ne id demonstrare, secum constituis-
set. Et huius quidem clarissimi iu-
uenis, cuius iam & alia extant egre-
gia ingenii monumenta, tanto magis
laudandum est studium, in re littera-
ria, & ciuili, pariter ac ecclesiastica
promouenda, quanto maiorem in-
dustriam ad epistolas hasce in lucem
accurate proferendas, attulit, nec
sumptibus nec laboribus parcens.
Ad orbis itaque litterati & civilis
com-

moda promouenda se natum , hoc
ipso demonstrat, & sui ingenii eden-
do monumenta, & aliorum ab ob-
liuione vindicando, vt patria , vt
ecclesia inde intelligat, quid aliquan-
do ab eo sibi polliceri debeat.

Ienae , pridie Kalend.
Januar. MDCCXXI.

b 3

DAV.



DAV. PEIFERI EPISTOLÆ.

I. AVGUSTVS HENRICO REGI GAL- LIARVM.

IN bac epistola Augustus se excusat, quod adficto Regi & equitatu & milite supprias aduenire non possit; idque tum, quod Scytha & Turca impressiones minarentur, tum vero etiam, quia iam scriptis interdixisset parentibus, ne ullus eorum apud exteror Principes, qui milites scriberent, nomen profiteretur. Tandem promittit omne in reddenda Gallis pace auxilium.

Reditæ sunt nobis, Serenissime Rex, Domine & cognate charissime, Stis R. Væ litteræ, ex quibus post sparso de pacificatione Gallica rumores, pro nostro in regnum illud stu-

A dio,

2 DAV. PEIFERI

dio, perinuiti cognouimus, bellum illic
denuo incrudescere. Et quamuis petitio-
nem Serenitatis Væ libenter admittere-
mus: tamen grauissimæ nos caussæ vrgent,
quo minus hoc tempore equitatu & mili-
te ditiones nostras nudare possimus. Cum
enim barbararum gentium vndique Ger-
maniæ nostræ imminentium infestissimis
armis veluti obsessi teneamur; dum hinc
Scythæ natione immanissimi grassantur;
illinc crudelissimus & totius Christianita-
tis perpetuus hostis, tyrannus Mahometi-
cus cruentas minas spiret: adeoque im-
placabili odio Christiani nominis ardens,
totis viribus arma aduersus vieinas nobis
prouincias expeditat: profecto magnitudo
periculi nobis proximi etiam atque etiam
postulat, vt in omnem euentum instructi,
& parati simus, quo vicinis nostris labo-
rantibus subsidio esse, Deique O. Max.
auspiciis truculentissimos & ferocissimos
hostes a focus & aris arcere possimus.
Quamobrem etiam interdictis promulga-
tis mandauimus, ne quisquam subditorum
nostrorum extra prouinciam, quocunque
locorum, in militiam iret. Et nobis per-
suademos, Ser. V. Rm pro insigni pruden-
tia

tia sua iustissimam hanc excusationem nostram , quod Germania & communi patria in summo discrimine constituta , his difficillimis temporibus equitatum , & militem in ditionibus nostris retinere cupiamus ; non modo amanter accepturam , sed etiam probaturam esse consilium hoc nostrum , non solum ditionibus his , sed toti Christiano orbi necessarium , & salutare . Quod si ad pacem optimis rationibus in regno Galliæ constituendam aliquid facere possemus , nullum equidem , & Christianæ & Gallicæ tranquillitatis cupidissimi , boni Principis officium prætermitteremus . Ut qui intelligamus , quantum præsidium aduersus barbarorum saeuissimos conatus toti Christianitati accedat , si tam animis , quam armis pari studio coniuncti Germani & Galli Christiani nominis protectionem , & defensionem suscipiant . Bene valeat Sas R. Va. Dresdæ Pridie Calend. Decemb. Ao. M D LXXV .

II. REGI GALLIÆ HENRICO.

Gratulatur Aug. Regi pacem & tranquillatas Gallorum res : atquehortatur, ne illas turbari patiatur, sed vires potius suas in Turcam conuertat.

A 2

Quem.

Quemadmodum libenter ex S. R. Væ
litteris intelleximus, illam amici-
tiaæ eius, quam Germania nostra,
& nos cum Sis R. V. antecessoribus multis
retro annis semper coluimus, studiosissi-
mam esse: ita gratissimum nobis fuit,
quod cognouerimus, florentissimo Gal-
liarum regno, post tot rerum difficultates,
quibus non paucis adflictum fuit, tandem
Dei Opt. Max. benignitate pacem esse re-
stitutam. Itaque hanc felicitatem Sti Væ
R. atque huius subditis sincere & ex ani-
mo gratulamur, ac optamus, vt tranquil-
litas hæc perpetua & constans sit. Ac pro
nostro erga Serenitatem Vam Rm studio,
& totum florentissimum Gall. regnum be-
nevolentia singulari Sem Vam Rm since-
re etiam atque etiam hortamur, vt pacem
hanc contra hominum inquietorum co-
natus serio tueatur, ac conseruet: suaque
deinceps consilia, cum Christiani nomi-
nis Principibus ad reprimendam infensi-
simi & perpetui Christiani nominis hostis
insolentiam, in commune conferat. Erit
id Sti R. V. ad omnem posteritatem glo-
riosum, ac toti regno Galliarum fructuo-
sum; imprimis vero Christianissimi Regio-

nomi-

EP. AD REG. GALL.

nomine dignissimum ; nobis autem ita
gratum, vt inter nos perpetuam constare
amicitiam cupiamus. B. V. Stas Va R.
Dippoldisvaldæ X. Calend. Sept. Ao.
LXXVI.

III. EIDEM.

*G. Loeseruſ profectionem in Galliam para-
bat, repetituruſ pecuniam, qua illi exhausto
ærario ſolui statim non poterat. Ut itaque
bae eo faciliuſ adnumeraretur, Auguſtus
Ser. per litteras ad Regem datas, & iuſtitiam
caufe, & Loeseri merita commendat.*

Superioribus annis, cum tota Gallia
in armis eſſet, & equitatus e Germania
euocaretur: cliens noster Geor-
giuſ Loeseruſ aliquot equites eo ſuis im-
penſis adduxit, quibuscum ſub Reinhar-
do Cracouio militauit, ſuaque ſtipendia,
ut virum fortem, & strenuum equitem
decet, eo uſque impleuit, donec contro-
uersiſ Dei Opt. Max. benignitate compo-
ſitis, pax iterum in Gallia conſtitueretur.
Quia vero tum aerarium ad ſolutionem
ſtipendiorum vno eodemque tempore
non ſufficeret, & certis conditionibus equi-
tes Germani dimitterentur: publica in-
terpoſita fide, & tabulis ad hanc rem a

Rege cognitis, ita cautum fuit, ut, quod
ipsis ex pacto deberetur, id a belli duci-
bus Stis Væ Ræ subditis in ærarium re-
gium inferretur, eaque pecunia die con-
stituta equitibus Germanis satisficeret. Ex
quorum numero etiam hic Georgius Loe-
serus est, qui cum hoc tempore in Gal-
liam iturus, & stipendia sibi iamdudum
debita exacturus esset, a nobis submisso
studio contendit, ut quam diligentissime
pro ipso ad Stm Rm Vm scriberemus.
Quod equidem nos homini nobili, &
clienti nostro negare noluimus: quod
animaduertissemus, ipsi persuasum esse,
litteras nostras, de se accurate scriptas
maximum apud Stm Vm Rm pondus ha-
bituras esse. Itaque a S. V. R. maxime,
amanter & diligenter petimus, ut clien-
tem hunc nostrum Georgium Loeserum
liberalissime amplectatur, & auctoritate
atque potestate sua regia perficiat, ut is
quam commodissime, & absque mora
longiori ad nummos sibi debitos perue-
niat. Erit profecto id, ut, Sti. V. R. quo-
ties aliquis eorum usus erit, liberalissimis
& paratissimis animis præsto futuri sint.
Nobis vero hoc amplius Stas R. Va gratis-
simum

simum fecerit, quod, cum omnes iuuare
clientes nostros consueuerimus; tum ve-
ro præcipue Loesero huic propter multa-
in nos eius officia, ita benigne cupiamus,
vt non minus de negotio ipsius laboran-
dum nobis esse existimemus, quam si no-
strum esset. Quamobrem quantum Stas R. V.
nostra caussa faceret, tantum Loesero in re
expedita, & liquida, vt non grauate com-
modet, iterum atque iterum tanto studio
& cura rogamus, vt maiore non possumus.
Bene valeat S. V. R. Data ex arce nostra
Anneburgensi III Id. Ianu. Ao. LXXIX.

IV. HENRICO REGI GALLIARVM.

*Hac epistola eiusdem est argumenti cum
præcedente. Nam Augustus H. Bunauium
commendat.*

NVlli est dubium, Seren. R. Vam in-
clytum Galliarum regnum summa-
cum dignitate & gloria sua velle ad-
ministrare. Id cum & nos ita esse, &
Stm R. Vam præclarum hoc institutum
suum facile tenere posse, putemus; si vi-
ris fortibus & strenuis, qui pro salute &
incolumitate Gallica aliquando arma tu-
lerunt, suus seruetur honos, & promis-
sis stipendiis ex fide publica satisfiat: fa-

cere profecto non potuimus, quo minus clientem nostrum, eundemque intra stru-
ctores nostros præcipuum, Henricum Bu-
nauium, omni nostra ope & consilio iu-
uaremus, quo is ad pecuniam ex stipen-
diis Gallicis reliquam perueniret quam
expeditissime. Itaque & cum legato Stis
Væ Ræ Caspare Schombergio diligenter
hic egimus, vt is cauſsam hanc reciperet,
& quantum gratia atque meritis suis apud
Stm Vam Ram valeret, tantum niteretur
& laboraret, vt Henricus Bunauius, cu-
ius in re militari studium & opera erga-
inclytum Galliarum regnum eximia fuit,
stipendia iam diu sibi debita consequere-
tur. Hoc etsi diligenter se facturum &
ipse Schombergius recepit, & nos ita pla-
ne facturum esse, non dubitamus: tamen
vt Stas V. R. intelligat, quam gratum no-
bis factura sit, si imperet tribunis suis
ærariis, vt Bunauio plene & absque mora
satisfaciant: has etiam litteras, quasi in-
terpretes, & testes animi, & cupiditatis
nostræ ad Stm Vam mittere libuit. Neque
vero difficile nobis foret, multas iustas &
graues cauſas adducere, quibus euince-
remus, omnino ad tuendum, & conſer-
uan-

EP. ADREG. GALL.

uandum decus atque existimationem Stis
R. Væ pertinere , vt id sat , quod in hac
parte maxime cupimus , & optamus : sed
cum de sermonibus legati sui coram re-
ctius cognoscere possit omnia ; haud
equidem Stem Vestram R. verbosis litte-
ris fatigare voluimus. Illud tandem hoc
loco monere placet , quod tam ad lau-
dem & ornamentum Potentissimi Regis ,
quam ad salutem & stabilitatem incliti
Galliarum regni pertinere arbitramur : si-
quidem auctoritate & mandato suo regio
solutio debiti Bunaui probe & recte ex-
pedita fuerit : hac re scilicet Stem R. V.
id consecuturam esse , vt non modo vi-
rum optimum , & strenuum equitem sibi
perpetuo adiungat ; sed , quod amplissi-
mum esse iudicamus , fortissimorum et-
iam in Germania militum animos ad re-
gni Gallici benevolentiam ita traducat , vt
nullius Regis & Monarchæ libentius im-
posterum castra sequi voluerint , quam
eius , cuius in bello virtutem , & in pace
Pactorum stipendiorum fidem hoc quasi
experimento liquido perspexerint. Bene
valeat Ser. V. R. Dataæ ex arce nostra Anne-
burgenſi. III Nonas Iulii Ao. LXXX.

A 5

V.AV.

V. AVGUSTVS REGI GALLIARVM.

Gratias hic agit Augustus Regi Gall. pro gemma transmissa, & hoc vinculum amoris esse vult. Promittit deinde omnia officia in illo negotio, quod per legatum proposuerat.

CVM antehac singularem erga nos Serenitatis Reg. Vest. benevolentiam multis rerum argumentis cognouimus: tum vero, quanti nos faceret, iam iterum ex dono genimæ præstantissimæ liberalissime nobis repræsentato facile perspeximus. Quamqnam autem abstinentiæ & moderationis nostræ erat, vt hoc nomine apud Serenit. Vest. R. excusatione aliqua vteremur: tamen cum intelligeremus, Ser. R. Vm hoc quasi adamantino vinculo utriusque nostrum animos obstringi & conglutinari arctissime velle: considerandum nobis etiam atque etiam fuit, si pignus amicitiæ regiæ ad nos ab optima voluntate vltro profectum remitteretur, ne forte iudicium Serenit. Ræ Vestræ, quod de nobis honorifice facit, improbare videremur. Quamobrem præ munificentia hac Reg. St. Væ. gratias officiose agimus, eidemque perpetuam collatæ

latæ in nos liberalitatis memoriam, & omnia prolixè pollicemur, quæ in potestate nostra sunt, & tam ad honorem & dignitatem Stis Reg. Vest. quam ad salutem atque commodum reip. Christi pertinent. In quibus cum & negotium illud contineatur, de quo Stas Reg. Vestra anno præterito per legatum suum nobiscum egit: dubium nobis non est, quin is & studia erga Serenitatem Reg. Vest. nostra eidem declarauerit, & pariter caussas, quas ipsi tum veras & graues ostendimus, exposuerit: quamobrem omnium Imperii ordinum, a quibus nos seiungere non possumus, consensum communem hue accedere cupiamus. Atque hoc est consilium nostrum, quo neque rectius, neque pro optimo reip. Christi statu melius capere aut dare etiamnum ullum possumus, siquidem id Stas R. V. sibi sequendum & fundamenta rei perficiendæ apud Domin. Imperatorem iacienda esse statuerit. Nos sane hac in parte nullam curam aut laborem prætermittamus, quo omnes intelligent ac sentiant, & reip. Christ. amantissimos, & Sti R. V. studiosissimos nos esse: quam valetudine prospera frui, & nos,

nos, vti instituit, amare perpetuo optamus. Dresdæ IX Cal. Martii Ao. LXXXIII.

VI AVGVSTVS. DOMINO HENRICO
REGI GALLIARVM.

Cum de salute Germaniae Henricus sollicitus fuerit; Augustus vicissim animum ostendit, quo in Gallia salutem feratur: & consiliis optimis cauet, ne Rex se a studio pacis dimoueri patiatur, neque homines, ut ego credo, Guisianos, qui pernicioſiſſima queque molirentur, audiat: sed reformata prius religioni addictos amet, & contra Pontificiorum impios conatus defendat. Hinc singularibus verbis, & diuino prorsus motu Papæ fraudes nudat, & execratur.

Ex iis litteris, quibus Stas R. V. nos ad suscipiendam cauſsam pacis publicæ nuper amantissime hortata fuit, facile perspeximus, quam vehementer de incolumitate Imperii Germanici sollicita esſet. Vnde tanto referendæ gratiæ studio incensi fuimus, vt pari ſollicitudine pro dignitate & commodis Stis V. R. adſiciamur. Quare cum hoc tempore ad nos deferretur: eſſe quosdam maleferiatos homines, qui Ser. R. V. tranquillitatem regni

gni sui inuideant, & hoc agant, vt Gallia
Pacificis quondam studiis florentissima, in
quiete sua, in qua respirasse non nihil vide-
tur, turbata bellorum ciuilium turbis ite-
rum inuoluatur: faciendum nobis pro no-
stra erga Sem R. V. obseruantia putaui-
mus, vt hac de re ad eandem scribere-
mus: non, quod nobis vllum esset du-
biu[m], quin Stas V. R. præclara illa & fa-
lutaria sua edicta, quibus pax Galliæ resti-
tuta nuper fuit, firma & inuiolata esse ve-
lit: sed quod metueremus, ne inquieti
isti homines, qui nihil aliud cupiunt,
quam, vt cum pernicie & interitu poten-
tissimæ nationis Gallicæ Pontificia tyran-
nis restauretur, Sem V. R. etiam inuitam
intestinorum bellorum calamitatibus im-
plicant, eoque tandem redigant, vt ad
imperium & nutum Romani præfulis ea
facere, & statuere cogatur, quibus & fa-
lus animarum, & omnes subditorum for-
tunæ euertantur. Pro nostro igitur perpe-
tuo erga Sem V.R. & inlytum Galliarum
regnum amore & studio Stem V. R. etiam
atque etiam serio & fideliter monemus,
rogamus, & obtestamur, ne aures regiæ
seditiosis perditissimorum hominum vo-
cibus

cibus pateant: neue incitari se ab his patitur contra suos fideles & pietatis veræ amantes ciues, qui omnia hactenus passi sunt, ut & Deo O. M. honorem suum, & S. R. V. obedientiam, & subiectionem debitam præstarent. Quos pestes istæ hominum Pontificiæ ob hanc solum caussam oderunt, & funditus extirpatos volunt, ut exhaustis & proculcatis regni Gallici viribus, Serenitas V. R. cum summa suam tam rerum, quam existimationis, &, quod caput est, animæ etiam iactura irrecuperabili Pontificis Romani tyrannidi, & libidini exponatur. Qui Pontifex cum hactenus Reges & Principes orbis Christiani præstigiis & superstitione circumuentos sub pedibus suis presserit, adeoque omnes omnium prouincias compilauerit: ægertrime fert, potentiam suam ac effrenem omnia pro arbitrio in re ecclesiastica & publica statuendi licentiam attenuari, & minui. Huius igitur iugo tyrannico, ut & se, & regnum suum eximat, seque libertatem suam ex turpisima seruitute magno & excenso animo vindicet; eosque, qui diuersum suadent, non aliter, atque manifesto deprehensos hostes dignitatibus

tatis Serenitatis R. V. & reip. Gallicæ præsentissimas pestes auersetur, & abigat: Ita nos fideliter Stem V. R. hortamur, & rogamus, vt suadere melius nil possimus, si nostra & patriæ nostræ dignitas summa & salus ageretur. Id si fecerit Ser. Reg. Vra, & sibi & regno suo rectissime consulet, adeoque ipsi Deo præpotenti grattissimum faciet: & non tantum in hac vita rebus abundabit omnibus; sed hinc etiam aliquando discedens, sempiterna beatitudine fructur, & nominis sui gloriam, celebritatem & immortalem famam; toti posteritati commendabit. Quæ nos omnia Ser. Reg. Vestræ ad salutem tam animi, quam corporis, & regni sui incrementum perpetuum feliciter euenire, sincere optamus. Datæ Augustæ Missenium III Non. Febr. Ao. LXXXIV.

VII. CHRISTIANVS AD DOMINVM HENRICVM REGEM NAVAR.

*Hæ litteræ deliciarum amorisque plena sunt.
Namque Christianus de Regis Nauarr. latatur benevolentia, & illum vt fratrem suis cupidissimum amplectitur; & officia tantum non omnia ipsi liberaliter spondet.*

Sere-

Serenitatis Reg. V. legatus dignissimus
Dominus Iacobus Segurius, Partili-
nus, vt nobis litteras reddidit a S. R.
V. plenas benevolentiae, & officii: mi-
rifico sermone subsecutus est humanita-
tem litterarum. Iucundissima nobis illa
ratio fuit, ex qua facile perspeximus,
quanti nos Stas R. V. faciat. Itaque no-
bis ipsi amicitiam eius regiam gratulati-
sumus, quam, vt is, quem Principem vir-
tute, pietate, & dignitate præstantem of-
ficiose obseruamus, & colimus: ac pari-
ter vt fratrem nostri cupidissimum am-
plectimur, & exosculamur: cui porro et-
iam pro egregio hoc erga nos animo gra-
tias immortales agimus: &, vt beneuo-
lentiam, quam litteris & sermone legati
sui nobis declarauit, perpetuo conseruet,
& tueatur, etiam atque etiam rogamus:
certoque statuat, nihil sibi a quoquam
tam esse promptum & paratum, quam
curam, operam studium & obseruantiam
nostram, quæ omnibus, quibus maxime
possunus, rebus ita Sti R. V. declarare cu-
pimus vt diligentia nostra vincat expecta-
tionem Stis R. V. Cui vitæ longæuæ diu-
nitatem cum valetudinis integritate

&c.

& rerum omnium successu felicissimo
coniunctam precamur ex animo. Dresdæ
Non. Februarii Ao. LXXXVI.

VIII. IDEM AD EVNDEM.

Dolet hic Christianus legationis euentum,
non fuisse talem, qualem optauerat, & ne-
cessitas requisiuerat. Erigit tamen Regem,
& felicem belli progressum ipsi adprecatur.
De promissis autem auxiliis nihil vtique re-
cordatur, sed in consilio cum Io. Casimiro
constans est; ultimo loco optat, ut in pace
constituenda iustus sit.

Quo loco Serenit. R. V. hoc tempore
 res sint, cum ex eiusdem litteris
 XV. die Nouembbris datis; tum ve-
 ro ex scripto nobis a D. Iacobo Segurio
 huc transmisso cognouimus. Quemad-
 modum autem pro legationis nuper in-
 Galliam missæ officio gratiarum actionem
 nullam desideramus; ac potius dolemus,
 quod illa, vti cupiebamus, ex sententia
 non successerit, ac pro nostra erga Ser. R.
 V. voluntate hactenus valde adficimur:
 ita ex animi eius magnitudine, & in pri-
 mis coelestis præsidii fiducia magnam vo-
 luptatem capimus, nihilque plane ambi-

B gimus,

gimus, quin idem ille iustissimus armorum arbiter Deus, qui hostium iratorum conatus, quatuor instructissimis exercitibus dissipatis nuper debilitauit & fregit, porro etiam Ser. R. V. ita pie & fortiter animatam ab inimicorum violentis confiliis mirabiliter sit liberaturus. Quod vero S. R. V. de promissis sibi iamdudum auxiliis scribit, id, cuiusmodi sit, non satis adsequimur: neque tale quid a nobis factum esse recordamur. Et meminit adhuc absque dubio D. Iac. Segurius, non modo, quid binis ipsi litteris anno praeterito responderimus, sed & quid haud ita dudum Luneburgi cum ipso sit actum. Quia vero post illum congressum Illustrissimo Principi, D. Io. Casimiro Rheni Latino, consanguineo & adfini charissimo nostro de rerum summa cogitationes nostras litteris missis aperuimus: in illa sententia grauiissimis de caussis etiam nunc adquiescimus, &, quod ad salutem totius Galliae optimum esse iudicamus, fraterne, fideliter, etiam atque etiam monemus. Siquidem ex litteris Ser. R. V. compositionis spem desideratissimam concepiimus, ut omni studio in eam rationem in-

cum.

EP. AD REG. GALL.

19

cumbat, quo pax nihil habitura sit impie-
tatis & insidiarum ; sed ecclesiae Christi
salutaris , & S. R. V. honorifica concilie-
tur : possitque saluæ & incolumi, quoad
eius fieri potest, patriæ, pietatis, & quietis
restitutæ gloria florere , fortunisque
abundare omnibus S. R. V. quam protec-
ctioni atque tutelæ diuinæ votis commen-
damus omnibus. Dresdæ IV Non. Febr.
Ao. LXXXVII.

IX. AD REGEM FRANCIAE HENRI-
CVM IV.

Princeps huius epistola thesis est : Rex
Gallia reddat illam pecuniam, quam Io. Wil-
belmus Dux Sax. in regni commoda impende-
rat, quamque Christianus mutuam Regi de-
derat. Ne tamen hoc ingratum esset, Pe-
tierus singulari eloquentia eligit, & aptat
argumenta.

Serenissime & Christianissime Rex,
Serenitati V. amicitiae & familiaritatis
nostræ officia semper sunt parata. In
quo statu, & quidem satis difficili S.
Romanum Imperium & dulcissima patria
Germania, nec non, (vt multi prudentes
Reges & Principes iamdudum iudicarunt)

B 2

vniuer-

vniuersa Christum profitentia, & sua ad-
huc libertate pollutia regna propter vio-
lentas inuasionses Sultani Turcici in Hun-
garia, finitimusque oris constitutæ sint; S.V.
tanquam Christianissimo Regi satis liquet.
Nec ambigimus, S. V. pro sua insigni pru-
dentia & rerum vsu, sibi vicinæ & amicæ
illi patriæ nostræ ex animo condolere.
Dum enim ex nostro nos modulo & pe-
de metimur, solicitudines illas recolligi-
mus, quibus multis retro abhinc annis
Principes Germaniæ, atque inter ipsos
Illustrissimus parens noster Io. Guilielmus
Dux Sax. felicis recordationis, pro incolu-
mitate & salute regni Francici tum satis
perturbati suas excubias egerunt. Atque
in primis boni illius animi & amoris re-
miniscimur, quibus decimo abhinc anno
Illustriss. quondam ille Christianus Elector
Sax. vna nobiscum & aliis Principibus
Germaniæ S. V. præsto fuere, nec studiis
nec sumptibus parcendo, quo S. V. Re-
giæ dignitas tum non extra discriminem con-
stituta in suum decus; & totum regnum
Franciæ alias florentissimum, tum vero
intestinis dissidiis satis laborans in nito-
rem pristinum vindicaretur. Ea omnia,

vti

vti a nobis, & felicis memoriæ Electore Christiano, nec non aliis Principibus optimo animo erga S. V. profecta sunt: ita etiam S. V. grata fuisse, quam plurimis iudiciis constat: finem vero eundem, in quem collinearunt actiones, nimirum Franciæ tranquillitatum, consilia ista consecuta esse, cum S. V. tanquam vicino Rege merito gaudemus. Atque idcirco S. V, totique regno Franciæ diuturnam pacem, & omnia prospera a Deo propitio optamus, ab optimo illo maximo precati, vt nostræ dulcissimæ patriæ aliquando benigne quoque largiatur, vt ab hoste illo satis potenti tuta in sua pristina libertate & veteri vigore permaneat, & omnibus intestinis simultatibus vacua sit: idque S. V. pro suo erga Germaniam vicinam amore nihil minus in votis esse, certo nobis persuasum habemus. Verum enim vero tam arduam illam rem contrariantum & quidem communem hostem se tuendi, non modo votis, sed etiam viribus agendum esse, S. V. satis notum est. Idcirco per integrum nouennium, cum tutela Electoria, tum etiam nostro loco nullis curis, & pro parte nostra impensis

B 3 peper-

pepercimus, quo vicinæ & labascenti Hungariæ, pro a maioribus modo & prædecessoribus nostris vſitato, & necessitate postulante S. Cæſ. M. cum aliis Principibus Imp. ſuppetias & armis & pecuniis ferremus: vt patria noſtra ab iſtis hostiū incuſionibus, & magna illa Hungarica calamitate immunis eſſe poſſit. Quan- tum impendii ad hæc & alia requiſitum fuerit, S. V. R. ex diuturna & graui ſui iſpſius militia facile perpendet. Sed cum a virtute etiam in ipſo periculo quid re- mittere, neque pium, neque virile ſit; quin potius vndiquaque pro tuenda patria conquirere neceſſarium & laudabile duca- mus: S. V. R. latere nolumus, cum ex ra- tionibus fiſci Illuſtrissimorum pupillorum agnatorumque noſtrorum; tum etiam ærarii noſtri, fratriſque Ioannis Ducis Sax. propriis diariis liquido conſtare; patrem noſtrum ſupra dictum Io. Guil. felicis me- moriæ quinquaginta tria millia floreno- rum Rhenanorum in vſum regni Francici impendiſſe, vti S. V. Christianiſſ. Regum antecedorum litteræ obligatoriæ teſtan- tur: atque insuper Electorem Chri- ſtianum, & nos coniunctim iſpſam S. V.

R.

BGBL

R. ad sua desideria anno abhinc XI sexaginta millibus Rhenanis mutuo datis adiuuisse: sane dubii nihil nobis relictum est, S. V. R. pro suo Regali splendore; & erga nostram domum Sax. amore & animi coniunctione etiam absque interpolatione nostra benigne curaturam esse, ut ambæ illæ summæ, cum eo, quod interest, bona cum gratia nobis & pupillis nostris exsoluantur. Verum enim vero patræ nostræ necessitas, temporis iniuria, & res pupillorum nostrorum, nostræque flagitare videntur, quo ad usus non differendos pecuniarum istarum exsolutio a S. V. R. nobis in promptu sit. Quo circa nobili, & nobis dilecto viro Erasmo Brand in Hordorf dedimus in mandatis, ut S. V. R. hasce litteras offerendo, debito modo a S. V. R., vel eiusdem ad hoc constitutis consiliariis, aut thesauri præfectis petat, circiter festum Petri & Pauli a S. V. thesaurariis cum pupillis nostris, tum etiam nobis & fratri Lipsiæ ut satisfiat. Id futurum esse, certo persuasum habemus, cum de S. V. benevolentia, regioque & liberali animo nobis satis constet. Sane benigna illa S. V. voluntas vetat, hisce no-

stris desideriis , quæ æquitate & litteris
 Regiis nituntur , quicquam addere : quin
 immo indubitatum nobis fit , S. V. R.
 nostras hasce litteras optimam in partem
 accepturam , iisque annuituram esse . Si
 qua in parte S. V. R. officia amicitiae &
 coniunctionis nostræ poterunt constare :
 ad id erimus propensi . Dab. Torg. Prid.
Cal. April. M D C I.

Fridericus Guilielmus
 Dux Saxonie.

CAP. II.

AD ANGLIAE REGINAM.

X. Responsum Ser. ANGLIAE REGINAE
 Legato , Richardo Areno datum nomine
 Electoris.

*Hæ litteræ in se continent controuersiam ,
 quandam ciuium nonnullorum Londinen-
 sum , quæ per Augustum componenda erat .*

Illustrissimus Princeps Dom. Augustus ,
 Dux . &c. non tantum ex Ser. Angliae ,
 Hiberniae &c. litteris ; sed ex aliis quo-
 que chartis , quas Dom. legatus Richard.
 Alenus ad postulationem Celsitud. suæ ex-
 hibuit , amanter & benigne cognouit
 caussam legationis , & quæ summa esset
 peti-

petitionis Ser. Angliæ Reginæ. Et sane Ill. Cels. sua recordatur iam inde ab initio, cum primum Iacobi Hanei, Guilhelmi Merick, Thomæ Nilfort, Arturii Dauberii & Guil. Turson, ciuium Londinen-sium querela contra Henricum Gleisen-thalium & Wolfgangum Costitum ad Cels. suam perferretur; se pro æquitate & iustitia sua nihil prætermisſe eorum, quæ ad boni Principis officium pertine-rent. Nam & consiliariis suis, quibus iu-stitiæ procuratio commissa est, in man-datis dedit, vt inter litigatores transige-rent: darentque operam, vt controuer-sia hæc, quam posset fieri commodissime, componeretur: postea vero, cum esset dies litigatoribus dictus, & inter ipsos actum diligentissime, & neutra pars cede-re vellet, adeoque rei constituti exceptio-nis eiusmodi obliquæ disceptionem & declaratiōnem accuratiorem desiderarent, sic, vt omnino necesse esset, rem totam cognitioni ordinariæ relinqui: Illust. Cels. sua iudicium sic redi & constitui præce-pit, vt quantum in ipso quidem iudice esset, lis hæc quam certissime terminare-tur. Atque hæc ita esse, testantur non-

tantum processus iuris, & actorum in iudicio consignatio, quæ in promptu & ad manum est: sed & auctoritas Cels. suæ, quam & saepe antea, & tunc quoque interposuit, cum rei constituti ex sententia lata probationem exceptionum suarum susciperent, & articulos probatorios exhiberent. Siquidem ne hac occasione res protraheretur longius, Ill. Cels. sua voluit, ut ante omnia cognosceretur, an articuli a reis oblati relevantes essent, nec ne. Atque hæc omnia Ill. Cels. sua ita egit, & promouit, quemadmodum cuperet subditorum suorum controversias in aliena iurisdictione tractari, expediri. Sed vt ut hæc se habeant, cum & litis euentus sit incertus, & sub immodici etiam temporis mora magnum litigantium versetur incommodum: existimat Ill. Cels. sua Dom. legatum rectissime facturum, si denuo inter litigatores transfigi patiatur: &, si hoc ipsi quoque videbitur, laborabit Ill. Cels. sua, vt quam primum, & ad summum intra dies quatuordecim Wolfgang. Costitius, & Henrici Gleisenthalii iam vita functi hæredes, eorumque curatores se sistant, vt in dicasterio Ill. Cels. suæ negoti-

gotium hoc tantum, &, si quid præterea esse putatur, quod huic cohæreat, diligentia opera & studio consiliariorum ex æquo & bono componatur: & quoad eius fieri potest, conditionibus optimis omnino, & penitus transfigatur. Sig. Dresdæ III Id. Oct. A. M D LXXIV.

XI REGINÆ ANGLIAE ELISABETHÆ.

Hæc epistola idem tractat argumentum.

REddidit nobis Ser. Regina, cognata amantissima, litteras Ser. Regiæ Vestræ Dom. R. Alenus: quas & libenter legimus, & ipsum Alenum benigne audiuimus. Ut autem intelligeret S. V. postulationem suam apud nos valuisse: Henr. Gleisenthalii hæredibus, Wolfgango Costitio, & Khiliano Rureuino diem diximus, nostrisque consiliariis mandauiimus, vt de controuersia inter ciues Londonenses & aduersarios æquissimis conditionibus transigerent. Quod ita factum esse, cum S. R. V. ex ipso Areno cognoscere possit; non equidem existimamus longiorem hac de re litterarum nostrarum sermonem S. V. R. obtrudendum esse. Hoc vnum amanter rogamus, vt S. V. R. de be-

de benevolentia sua pristina erga nos nihil imminui patiatur, sibique vicissim de nobis polliceatur omnia, quæ ab æquissimo, & Britannici nominis amantissimo Principe ac cognato optimo expectari par est. S. V. R. rectissime valere cupimus. Anneburgi VIII. Id. Nou. A. MD LXXIV.

XII EIDEM.

Arnoldus Bernhardus Londini tunc degens nomina fecerat apud Sebas. Conradum; & tamen differebat solutionem pecuniae: proinde Augustus hoc negotium ad Reginam defert.

Ex libello supplice Ser. Regina, cognata charissima intelligere poterit: subditum nostrum Sebastianum Conradum ob cautionem, quam pro Arnoldo Bernhardo Londini iam commorante, cum hypotheca bonorum suorum exposuit, quingentos Ioachimicos & quadram exoluisse, quod ipsi Arnoldus Bernhardus reponere hactenus noluerit. Itaque submisse petit, ut negotium hoc ad S. V. referre velimus. Nos autem etsi minime dubitamus, S. V. R. pro æquitate & iustitia sua mandatarum esse magistrati

tui

tui Londinensi , vt Ar. Bernhardo satisfactionem cius , quod debet , imperet : tamen cum subditus noster propter hanc caussam intercessionem litterarum nostrorum desideret : petioni eius deesse noluimus. Quamobrem etiam atque etiam rogamus , vt S. V. nullam iniustam moram in exactione iusti debiti subdito nostro ob*iici* patiatur : suamque auctoritatem sic interponat , vt & Arnoldus Bernhardus fidem suam liberet , & Sebastiano Conrado , quod debet , exoluat. Erit id nobis gratum , & nos studia nostra in grauoribus etiam rebus probabimus S. V. R , quam cupimus valere feliciter. Anneb. VIII Id. Nou. M D LXXIV.

XIII REGINAE ANGLIAE.

Guilielmus Marlarus , Popponis , ciuis cuiusdam Gotbani filie fidem matrimonii sancte dederat : iam vero mutato consilio in Britanniam se receperat , & vinculum hoc rumpere cogitabat. Ne igitur hoc fieret , Peiferus nomine Augusti laudatis & expositis diserte matrimonii legibus Elisabetbam rogat , vt bunc ad eam ducendam adigat.

Guil-

GWilhelmus Marlarus, qui hoc tempore Londini degit, posteaquam Margaretha Io. Popponis, Gothani honesti hominis filia, parente & agnatis puellæ adprobantibus, fidem matrimonii sancte obstrinxisset; caussatus est, sibi in Britaniam eundum esse, ut pecuniam illic exoluendam a debitoribus suis exigeret: ita a socero & sponsa sua spe indubitata promissi redditus dimissus, aliquot iam menses absfuit, ac voluntate præter omnium opinionem mutata litteras ad popularem suum Hugonem Schripeoristum misit, quibus se animum redeundi exuisse significauit, atque eius operam, & consilium ad discutienda sponsalia implorauit. Hoc cum puellæ pater non absque dolore comperisset, consulturus conscientiæ filiaæ suæ, nos adiens, libellum supplicem his adiunctum litteris nobis porrexit, & submisso studio petiit, ut rei istius indignitatem ad S. V. R. referremus: rogaremusque diligenter, auctoritate atque mandato regio pacta virginì reddi atque restitui. Hanc clientis Saxonici petitionem per se æquissimam cum religiosa quoque pietate niti animaduertissemus:

haud

haud sane grauate admisimus, & omnino
graue fidem fallere, longe autem grauis-
simum resilire ab eiusmodi sponsalibus iu-
dicauimus, quæ, vt sine vlla tergiuersa-
tione præstent, non tantum ciuili ratione,
sed diuino etiam instituto atque præcepto
homines Christiani adiguntur. Cumque
ab initio Marlaro liberum fuerit, vt, quam
vellet, sponsam, eligeret: non equidem
iam post datam & acceptam fidem per-
mitti amplius arbitrio eius debet, vt quam
sibi socium vitæ fortunarumque omnium
esse voluit, lubenti interposito foedere,
ab se temere segreget & subducat: cum
nulla plane iusta cauſsa sit, cur honestam
& simplicem & innocentem virginem ne-
gligat & repudiet. Quare vehementer
etiam atque etiam a S. V. R. petimus, vt
desertæ puellæ iustissimum patrocinium
fuscipliat: & a Marlaro irretitæ conscienc-
tiæ laqueis, a quibus alia ratione se misel-
la expedire non potest, pro pietate & iu-
stitia sua subueniat: ac Marlaro seuere
præcipiat, atque mandet, vti eam, quam
sibi despōndit virginem, huc more Chri-
stiano deducat, neque in re tanti momen-
ti ludat, ac tergiuersetur diutius. Postu-
lat

lat hoc certe religiosa pietas, efflagitat honestatis publicæ ratio: adeoque perpetuæ societatis contractum exigit vinculum, quod vtriusque interposita fide, vtrumque ita adstringit, vt neque vtriusque consensu, nedum inuito altero saluis piis moribus, iustitia & pietate dissolui ac dirimi amplius possit. Bene valeat S. V. R. Anneb. IV. Cal. Ian. A. LXXVII.

XIV EIDEM.

Quot hic lineas, tot testimonia incredibilis erga Augustanae confessionis doctrinam amoris, in eaque constantia videbis.

S. Væ salutem dicimus, & operam nostram in omni honoris & officii genere promptissimam deferimus. Domina & cognata nostra charissima. Tam ex litteris, quam ex S. V. mandatis, quæ nobis ornatissimus vir Dom. Robertus Delus exposuit, singularem quandam benevolentiam erga nos & reliquos Germaniæ proceres veritati Euangelicæ addictos, cum illustri rem Christianam labentem sustinendi studio coniunctam perspeximus. Non vna igitur caussa est, quamobrem S. V. R. gratias agere, ac tam potentis & erga

erga Christianæ doctrinæ professores
optime animatae Reginæ amicitiam vltro ambire , & omnibus honoris &
obseruantiaæ officiis perpetuo colere &
ornare debemus. Nec est professo-
cto pia illa & prudens solicitude atque
cura, quam S. V. R. pro communi eccle-
siarum Pontificios abusus & idolomanias
abominantium salute & incolumente su-
scepit, intempestiuæ: cum minime sit ob-
scrum, omnes hostium veritatis diuinæ
neruos ad exterminandam doctrinæ Eu-
angelicæ veritatem & puritatem summo-
nisi intendi. Quod vero hactenus eccle-
siæ doctrinæ coelestis veritatem profiten-
tes nondum penitus sint euersæ , & de-
letæ, id, quemadmodum non minus ve-
re, quam pie S. V. R. scribit, nullius ho-
minis cautioni ac industriæ; sed solius Eu-
angelicæ veritatis auctoris & protectoris
Dei misericordiæ ac benigitari imputan-
dum est: in cuius inenarrabili bonitate in
his mundi fecibus etiam porro nobis spes
fixa esse debet, nunquam futurum, vt ho-
stis generis humani id perficiat, quod Pon-
tifex Romanus tentat, cum scelerata fœ-
dera, stratagemata, Acheronteas insidias,

C

omnia

omnia denique hostilia & extrema struit,
sed ut vincat tandem certe veritas, neque
diuinorum oraculorum vana fit prædictio:
quæ hostes populi Dei congregari, accin-
gi & inire cœnsilia, nihilque aliud loqui
monet, quam coniurationem: dulcissi-
mam addens consolationem & præceptum,
quo piis hortatur, ut inanes impiorum
conatus neue metuant, neue in humanis
præsidiis spem collocent; sed sciant, se-
cum Immanuelem esse: quem vtique cer-
to statuendum est, etiam nobis hoc tempo-
re contra omnem tyrannorum iniustum
vim ac potentiam non defuturum: & sa-
na, recta, salutaria piis Regibus ac Princi-
pibus largiturum esse consilia, a quibus
nos quoque non abhorremus, ac eadem
de S. V. nobis pollicemur. Quare et si
non dubitamus, cum tota hæc res, de-
qua nobiscum S. V. R. per legatum suum
egit, sit grauis & ardua, & ad omnes pa-
riter Augustanæ confessioni addictos pro-
ceres pertineat, quin S. V. pro insigni
æquitate sua non aliorum acceptura sit,
quod ad communem coniunctorum ordi-
num déliberationem a nobis necessario
reiiciendum hoc tempore fuerit: Ta-
men,

SINNIO

men, vt S. V. R. & has litteras nostras, & ea, quæ S. V. R. legato per nos indicata sunt, in optimam partem interpretetur, & in eorum Principum numero, qui S. R. V. obseruantissimi & studiosissimi sunt, nos quoque habeat, tanto quidem studio rogamus, vt maiori non possimus. Bene valeat S. V. & perpetuo prospero rerum cursu fruatur. Ex arce nostra Dipoldislauiensi VIII. Id. No. LXXVII.

XV Responsum LEGATO REG. ANGLIAE DATVM.

Totum hoc scriptum res & controversias tractat religionis, simulque summam Electo-ctoris pietatem loquitur.

Responsum, quod ad mandata Ser. ac Potentissimæ Principis ac Dom. Dominiæ Elisabethæ, Angliæ &c. Reginæ, defensoris fidei, Dominiæ nostræ clementissimæ per S. eius R. legatum Dom. Robertum Belum exposita, Illust. Princeps ac Dominus Dom. Augustus, Dux Saxon. &c. dedit, & scripto comprehendit iussit, ita se habet: Cuiusmodi sint mandata, Ser. & Potent. Principis ac Dom. Eli-sab. Reginæ &c. quæ Cl. & ornatissimo vi-

ro Roberto Belo Ser. suæ Regiæ a secretis,
& legato dignissimo ad Illust. Principem
Dom. Dom. Augustum &c. Dominum no-
strum clementissimum perferenda dedit:
Illust. Celsit. eius probe intellexit. Et
quamuis excusatio illa, qua S. R. eius de-
omisso hactenus litterarum & legationum
officio ad Excels. eius vtitur, minime erat
necessaria: tamen, quia cum singularis
cuiusdam benevolentia & humanitatis si-
gnificatione est coniuncta, non potest non
Exc. eius esse gratissima. Ac licet Ill. Sa-
xoniæ Dux Elector, de præclara S. eius R.
voluntate erga se plane non dubitet: ta-
men more magis suo, quam, quod res
ipsa postulare videatur, etiam atque etiam
officiose rogat, vt S. eius R. egregium er-
ga se hunc animum perpetuo retineat:
sibique certo persuadeat, nihil vñquam
prætermissurum Excels. eius, quod vel ad
amicitiam, quæ potentissimo Angliarum
regno cum familia Saxonica multis retro
annis intercessit, porro etiam tuendam
& conseruandam; vel ad ecclesiæ ac rei
publicæ Christianæ incrementum & sa-
lutem promouendam conducere poterit.
Cumque S. Ang. Regina in iis, quæ per
Dom.

Dom. legatum oratione eleganti exponi curauit, multa in religionis negotio fideliter & amanter moneat, quæ ad amolendum violenta consilia aduersariorum, & Euangelicæ veritatis hostium non parum profutura videntur: non potest non Ill. Exc. eius fidele, & vere regium hoc studium probare. Neque dubium est, siquidem S. eius R. recte edocta fuerit de iis, quæ pari cura & solicitudine hoc tempore aguntur a Germanis proceribus, qui Augustanæ Confessioni nomen dederunt, quin pro insigni æquitate, prudentia & pietate sua mitius sit de tota hac re iudicatura, & non reprehensa eas rationes, quæ pro conseruanda puritate doctrinæ coelestis, & ad Principum huic addictorum animos inter se vnanimi veritatis professione conglutinandos faciunt. Nam quod S. eius R. ex incertis & apparentibus indiciis veretur, initium harum tractationum a technis Pontificiis profectum esse; idque nunc in Germania agi, vt noua quædam & a Confessionis Augustanæ sensu aliena dogmata cudentur: hoc profecto longe aliter se habet. Ac notum quidem est vniuerso orbi Christiano: cum pri-

C 3 mum

mum præpotenti Deo pro immensa in genus humanum misericordia sua vifum esset, ut veritatis suæ lucem inter densissimas Pontificiorum errorum tenebras excitarer: & a Principibus pietatis Christianæ studiosis diuino Carolo V. Imperatori in comitiis Augustanis anno seruatoris M D XXX exhibita esset summa doctrinæ coelestis: hanc deinceps in ecclesiis puritatem Euangelicam profitentibus instar symboli cuiusdam eodem plane sensu, quo tradita fuerat, habitam fuisse: donec post obitum viri Dei, Martini Lutheri, piæ memoriae, quidam maleferiati homines scripta & dicta quorundam priuatum fugillarent; nec bene meritis etiam de genere humano scholis parcerent: ac libris in vulgus editis perniciosas contentiones fererent: in quibus alii alias de corruptelis sanæ doctrinæ accusarent, ac studium contentionis eo vsque progrederetur, vt non modo noua, & inaudita antea factionum vocabula nascerentur; sed vt Principum animi hoc quasi defensionum grassantium contagio infecti disiungerentur: Pontificiis interim veritatis hostibus, quod in his tantis turbis omnino luctuo.

Iuctuosissimum erat, lætissimo vultū, hæc
quasi Cadmea prælia spectantibus: ac in-
de calumniandi occasione audissime arre-
pta, doctrinam Euangelicam ad populum
turpiter traducentibus: ut nihil præterea
de quorundam magis inquietorum info-
lentia dicatur: qui etiam a seditiosis vo-
cibus sibi non temperabant, confirman-
tes Augustana Confessione, veluti basi &
fundamento religiosæ in Germania pacis,
inter tot diuersarum partium opiniones
euersa vel amissa potius, etiam pacis pu-
blicæ securitatem labefactatam esse. In
hoc miserrimo & tristissimo ecclesiarum
statu multa piorum auditæ sunt suspiria,
& Principes veritatis atque pacis amantes
remedium his tantis malis adferre non
semel conati sunt. Itaque & iam tum
tentata concordia est, sed frustra: cum
adhuc lites recentiores feruerent, & ipsi
auctores & antesignani dissidiorum super-
essent: donec illis tandem spes melior
adfulgere coepit: posse Dei misericordis
implorato auxilio & beneficio pacem ali-
quando adflictissimis in Germania eccl-
esiis restitui. Quamobrem pio & salutari
Principum veritatis & quietis Christianæ

amantium studio consilia & sententiæ theologorum doctrina, pietate, & vitæ innocentia præstantium exquiri coeperrunt: non, vt in religione quicquam nouaretur; sed, quod antea ex verbo Dei constitutum erat, a calumniis variorum honinum vindicaretur: adeoque Augustanæ Confessionis symbolum suo vero & genuino sensu, in quo primum scriptum & Imperatori exhibitum fuerat, restitueretur: atque hoc ita, vt ne uno quidem ad Confessionem Aug. verbo vel addito vel detracto quicquam mutaretur: sed, vt ad paucos tantum articulos, qui in controversiam vocati fuerant, pia & vera ex ipsis Augustanæ Confessionis auctoribus explanatione perscriberetur; quæ omnem deinceps contentiosis hominibus rixandi occasionem praecideret: & cum salutaris doctrinæ explicatione pacem & concordiam ecclesiis redderet.

Cumque hæc certamina intra fines Germaniæ orta essent, neque ecclesias exteris corripuisse putarentur: existimatum fuit, ecclesias extra Germaniam quietas his dissidiis inuoluendas
non

non esse, ac sufficere, si tractatio hæc ad-
hiberetur iis tantum, inter quos lis pri-
mum mota fuisset, & tota res ad exempla
Prouinciarum, vi exigente non raro natio-
nalibus synodis componeretur: sicut ex to-
ta ecclesiastica historia vix nouem oecume-
nica concilia numerentur. Ex quibus
omnibus existimat Ill. Sax. Dux. Elector.
S. Ang. Reginam pro singulari pietate sua
cum pari prudentia coniuncta, facile per-
specturam esse: nihil minus cupere Pon-
tificios, quam ut salutaris hæc concordia
inter Germanos theologos & proceres
coeat; qua constituta, & aduersariorum
calumnias cessare necesse est, quibus do-
ctrinæ coelestis propagatio hactenus velu-
ti remora iniecta plurimum impedita fuit;
& studia Germanorum procerum eandem
confessionem amplectentium hactenus di-
stracta hoc salutaris concordiae quasi foed-
dere indissolubili denuo coalescere opor-
tet: ut coniunctis deinceps animis & vi-
ribus, si necessitas ingruat, obuiam ire
impiorum conatibus possint: & quod hu-
ius Christianissimi concilii caput est, do-
ctrinæ veritas ac certitudo, quæperpetuo
durantibus altercationibus & rixis nulla

C 5

esse

esse potest, ad piam posteritatem in æternam salutem multarum animarum transmittatur: adeoque omnia ad gloriam præpotentis Dei vergant, & ad piam tanto-pere a Saluatore nostro Christiani nominis hominibus commendatam dirigantur concordiam. Quæ vti optima est, ita omni loco & tempore expetenda & promouenda est: neque vnquam vlla de causa intempestiua dici, aut reprehendi merito potest. Qua quidem nihil latius & salubrius ecclesiis veritatem Euangelicam, profitentibus in hoc ærumnoso seculo accidere; nihil contra huiusmodi Pontificiis hostibus tristius & calamitosius euenire quicquam potest: cum illi a grauissima perniciosarum contentionum peste quasi reuiuiscant. Si vero intelligent, non modo Germanorum procerum vnanime consensum ipsorum violentis consiliis ita opponi, vt, quæ eis antea ad opprimendum pios videbantur obuia & expedita; iam omnia reddantur inuia & difficiliora: sed & cum malo suo magno experiantur, ecclesias Germanicas ab intestinis discordiis in Pontificiorum superstitionum extremam abolitionem & interitum denuo

coll.

conuenisse. Cumque certum sit, plane nihil noui in dogmatibus constitui: non equidem videt Ill. Sax. Dux, Elector, quæ caussa sit, cur tam salutari instituto, cui quam Germanorum Principem periculum creetur: modo sinceram Augustanæ Confessionis sententiam amplectatur. Ex his autem illud porro conficitur, quod de articulo, quem S. V. R excipit; quod vel solo Noui Testamenti nomine, vt interim de re ipsa non dicatur, inter Christianæ fidei mysteria præcipuum aliquem locum obtinet, nihil hoc tempore fiat aliud, quam, quod ex verbo Dei in Augustana Confessione iamdudum est constitutum. Vnde nec ullam iustum excusationem Pontificii habent, quam tyrannidi suæ prætextant. Cum ex aduerso Christiana illa concordia in ecclesiis Germanicis confirmata, piorum hostibus omnes potius calumnias inuitis etiam extorqueat, quibus hactenus non modo abusi sunt ad defor mandum doctrinam Euangelicam; sed ad obruendum etiam huius professores, homines pios & innocentes, quos ob doctrinam, quæ tot diuersis opinionibus discre paret, tolerandos non esse vociferabantur.

tur. Quæ cum ita sint, & Ill. Sax. Dux, Elector, Serenissimæ Ang. Reginæ eam esse mentem intelligat, si quid agatur, (quemadmodum agitur) ut dissidia, quæ orta sunt de vero Augustanæ Confessionis sensu, & intellectu, componantur: nihil a Serenitate eius Regia requiri amplius, quam ut abolitis condemnationis vocabulis consuetæ voces usurpentur. Videt nimurum Ill. Cels. eius pium hoc concordiæ Christianæ studium S. eius, R. penitus improbari. Quamobrem in optima spe est, de toto hoc negotio hucusque bona fide exposito, fore, ut, quæ ab optimo proficiuntur animo, minime ingrata sint. Quamuis Excelsis eius communem omnium Augustanæ Confessionis ordinum cauissam in se solam propterea non suscipere, neque præ reliquis suam sententiam valere; ac potius erga S. R. obseruantiam suam eo ipso declarare studeat, quod hac commemoratione S. eius R., ea cura & solicitudine, qua ipsam hoc tempore valde adfici animaduertit, nonnihil leuari posse existimet. Ac si quid porro restat, in quo forte S. eius R. abunde satisfactum non est; cum id sit eiusmodi, ut non nisi communis

municato omnium Augustanam Confessionem amplectentium Ordinum consensu explicari expediriique possit: rogat Ill. eius Excels. studiose, ut S. eius R. hactenus amanter adquiescat, donec ex communi sententia statuatur id, quod ad commodum & salutem ecclesiarum veritatem Euangelicam profitentium pertinere videbitur.

Quod porro S. Angliae Reginæ de Pontificiorum violentis consiliis non minus prudenter, quam fideliter monet, & se ad ineundas necessarias ad defensionem rationes amanter adfert: sane ex hac quoque parte S. suæ R. singularis benevolentia & propensiō erga ordinem Augustanæ Confessionis animus se ostendit. Ac veluti Ill. Sax. Duci, Electori dubium nunquam fuit, Pontificem Romanum & eius propugnatores nihilo minus erga ecclesias Germaniæ Euangelicam veritatem adserentes, quam erga reliquas a Romanis erroribus abhorrentes hostiliter animatos esse; vt paratiores sint ad propulsandam vim sibi iniuste illatam: quam ob rem S. Ang. Reginæ tam pro fideli commonefactione, quam pro declaracione regii animi ad fe-

ren.

rendum subsidium promptissimi gratias studiose agit. Cumque tota hæc res ad omnes ex æquo Confessioni Aug. additos ordines pertineat: de ea sane rectissime statui poterit, cum progressu temporis communis aliquando conuentus instituetur.

Interea, vt S. Angliarum Regina de sua erga Euangelicos proceres benevolentia atque studio nihil imminui patiatur; sibique contra ab his policeatur omnia, quæ ab Anglii nominis amantissimis Principibus expectari par est: Ill. Sax. Dux, Elector iterum iterumque vehementer rogat. Atque hæc, vt S. Ang. Reginæ Dominus legatus nomine & verbis Ill. Sax. Ducis Electoris cum significatione Excel-sitatis eius erga S. Angliae Reginam obseruantiaz singularis renunciet, Ill. eius Cels. a Dom. legato, cui propter virtutem eximiam benignissime cupit, clementer postulat. Ex arce Dippoldislauensi VIII Id. Nou. LXXVII.

XVI ANNA ELISABETHÆ ANG. REGINÆ.

*Est responsio plena amoris & benevolen-
tiae,*

rie, qua S. Anna promittit tum omnia officiorum genera, tum vero etiam ea, quae a marito desiderabantur, quantum ferre posset subsidia.

Salutatio illa benevolentiae & humanitatis plenissima a Ser. & potentissima Principe ac Dom. Domina Elisabetha Angliae &c. Regina, Domina nostra clementissima, ad Illust. Principem ac Dom. Dominam Annam ex Regia Danorum stirpe prognatam, Ducissam & Elect. Saxon. Dominam nostram clementissimam profecta, ceteraque res, quae ad sententiam eam pertinent, incredibilem Ill. Celsitudini latitudinem attulerunt. Rursus eidem commemoratio illa necessitudinis, quae S. Ang. Regina cum inclyto Danorum regno intercedit, iucundissima fuit: eoque maior extitit haec latitia, quod Ill. eius Cels. Ser. Reginam recte valere, & fortuna vti commoda intellexit. In primis igitur S. Ang. Reginæ Ill. Sax. Ducissa, Eletrix pro hac declaratione animi Regii, quem erga Celsitud. suam haberet, quemque habitura porro esset, gratias sedulo & reuerenter agit, eidemque a Deo optimo maximo valetudinem prosperam, vitam

tam longæuam, & felicissimos rerum omnium successus ex animo precatur. Atque hoc etiam amplius, quo magis pium & memorabile S. R. studium incrementi ecclesiæ & reipublicæ Christianæ promouendi perspexit ex iis, quæ per clarissimum & ornatisimum virum Dom. Robertum Belum, S. Regiæ a secretis, & legatum eius hoc tempore dignissimum ad Cels. eius sunt relata.

Cumque Ill. Sax. Ducissa, Electrix Cels. suæ dilectissimum Dominum & maritum ita prorsus animatum esse sciat, ut nihil ex omnibus rebus humanis præclarious aut præstantius esse iudicet, quam de piis ecclesiis & republica Christiana bene mereri: non videt equidem Ill. eius Cels. quicquam sibi relictum esse, quo fidele, pium, & Christianum hoc dilectissimi sui domini & mariti studium augere, &, quod ante flagrantissimum esse nouit, magis etiam incendere possit. Neque vero dubitat, quin S. Angliarum Regina ex iis, quæ Celsit. suæ dilectissimus dominus & maritus ad S. R. mandata respondit, id paullo etiam illustrius animaduersura, & facile inde pro summa æquitate & prudenteria

dentia sua existimatura sit : Cels. suæ dilectum dominum & maritum in cauſſa, de qua tantopere S. eius R. laborare intelligit, nihil prætermiſſurum vñquam, quod quidem ſalua & illæſa conſcientia ſtudioſiſſimus pietatis, veritatis & concordiæ Christianæ Princeps facere poſſit & debeat. Etsi autem Ill. Sax. Duc. Electrix in hiſ arduis, ac longe maxiſi momen- ti rebus parum fortaffe præſtare poterit: tamen ſi quid piæ preces apud Deum O. M. pro communis eccleſiæ & rei publicæ Christianæ optimo ſtatu conſirmando va- lent (valere autem plurimum, certum & indubitatum eſt) hac quidem in parte vo- ta ſua & gemitus pios cum S. eius R. & toto Christianorum coetu, quod a pieni- tissima & veritatis Euangelicæ amantissi- ma Princepe poſtulari par eſt, promittit. Porro quod Dom. legatus Regius etiam monuit, vt famæ atque honoris S. Ang. Reginæ ratio habeatur ; id eiusmodi eſt, vt Ill. Sax. Electrix in ſe recipiat, & fide ſua conſirmet, dilectiſſimum eius domi- num & maritum tam eſſe Regiæ exiſti- tionis & dignitatis ſtudioſum, vt com- munefactio hæc ſuperfluā videri queat.

D

Et

Et quamvis S. eius R. nullam iniuriam accipere posse existimet in negotio eiusmodi, quod ob pietatem Christianam suscipitur: tamen Ill. eius Cels. curæ erit, ut S. Angl. Regina cognoscat, qua in omnibus officiis tuendis erga S. eius R. observantia & constantia fuerit. Atque hoc extreum magis, ut augeat Regiam erga se benevolentiam, addendum esse censuit, quam quod quicquam agi aut fieri putaret, quod ad imminutionem honoris pertineat. Quæ omnia, ut clarissimus & ornatussimus Dom. legatus S. A. Reginæ pluribus etiam verbis declareret, eidemque ab Ill. Sax. D. Electrice obsequia in omni officiorum genere paratissima ostendat, Ill. eius Cels. benignissime petit. Dipoldisvaldæ VIII. Id. Nou. LXXVII.

XVII AVGVSTVS EIDEM.

Gratias agit S. Augustus, quod Pot. Ang. Reginæ merces ad se spectantes bactenus sine vectigalibus exportari iussere: & eandem liberalitatem in aliis quibusdam rebus imposterum desiderat.

SEr. V. Regiæ salutem dicimus, & operam nostram a nobis in omni honoris & of-

& officii genere paratissimam reuerenter deferimus. Domina & cognata charissima. Administer noster, quem anno præterito in Lusitaniam ablegauimus, vt quasdam merces ad priuatos nostros vsus compararet: huc reuersus, significauit nobis, cum in portum Londinensem esset dela-tus, & apud thesaufarium S. V. R. nomen suum & merces, quas ad nos deferebat, professus esset, se ex mandato S. V. R. erga nos voluntatem eximiam cognouisse, vt quicquid rerum in ditionibus suis coe-mi iuberemus, id omne a vectigalibus & portoriis immune repræsentari nobis cu-piat. Iucundissima profecto fuit nobis hæc declaratio S. V. R. erga nos præcipua & singularis benevolentia: quam summis obseruantia & gratitudinis officiis deme-reri merito debemus & volumus: Hac autem S. V. R. insigni liberalitate freti, administrum nostrum Antverpiam aman-dauimus, vt cum negotiatoribus Britan-nis, qui ibi agunt, quater aut quinques centena millia ponderum plumbi certo pretio condicat, cuius in metallico & ar-gentario lapide ex venis fodinarum no-strarum eruto liquefaciendo & excoquen-

do vsus plane est necessarius: a S. V. R. officiose petimus, vt, quod ex Britannia secundum hanc conuentionem minister noster a mercatoribus Anglicis plumbum exportabit, sic, vt nostris hominibus Hamburgi reddatur; vt omne id, tota hac, quæ instat, æstate, & quod præterea aliis quoque temporibus coemi curauerimus, sine portoriorum vectigalium exactione Hamburgum deferri liberaliter patiatur ac iubeat. Erit id nobis pergratum, & quamuis in terris nobis subiectis ea rerum copia non sit, vt cum opulentissimo Angliarum regno conferri possit; tamen se quid forte esset, quod S. V. R. ex ditionibus nostris in Britanniam importari cuperet: nostrum in ea re studium & obsequium sine omni expectatione ita probare S. V. R. parati sumus, vt intelligat, beneficium suum apud gratissimum & S. V. R. studiosissimum Principem esse positum. Quem si S. V. R. erga se liberalitatem compensandi facultas forte destituet; tamen nunquam profecto gratificandi voluntas deficiet. Bene valeat S. V. R., & nos sibi commendatos habeat. Dresdæ Prid. Non. Febr. An. LXXVIII.

XVIII EIDEM.

*Hac epistola tractat argumentum de usu
commerciorum mercatorum Londinensium in
Saxonia & reliquis Germaniae partibus.*

Domina & cognata nostra charissima. Litteræ S. V. R. Non. Apr. ad nos apud diuum Iacobum scriptæ vix tandem nobis XVI. Cal. Iul. sunt redditæ: ex quibus intelleximus, rumores ad S. V. R. perlatos fuisse: interdictum a nobis promulgatum iri, quo Britannici nominis negotiatoribus usus commerciorum in ditionibus nostris prohiberetur: præterea, quod priuilegia aliquot retro seculis a ciuitatibus Hansæ maritimæ in Anglia quiete usurpata inique labefactari dicerentur. Quæ de re etsi reminiscimur, ante sesquiennium ad nos perscriptum fuisse; mercatores quosdam Anglos Londoni societatem iniisse, & auctoritate publica obtinuisse, ut aliis multis, quam illis, qui in horum socrorum numero essent, negotiatio pannorum Londinensium libera relinqueretur: atque hinc fieri, cum ante id tempus panni a ciuibus Hansæ maritimæ in Germaniam nullo prohibente.

D 3 impor-

of-
se-
ster
um
bus
ta-
rea
eri-
ex-
ter
gra-
ctis
en-
situs;
R.
im-
um
ita-
gat,
z S.
osi-
ita-
net;
vo-
nos
rid.
III

importati , & mediocri pecunia venditi fuissent : vt iam horum pretia in immensum augerentur , idque detrimentum publice ad omnem Germaniam redundaret : tamen nos haec tenus de tota re neque comperimus quicquam amplius , neque in animum induximus , vnquam commerciorum exercendorum potestatem cuiquam adimere , aut eiusmodi quid statuere , vnde molestia crearetur S. V. R. a quos nos beneficium accepisse , grato recordamur animo ; vel eiusdem subiectis populis , quos fauore singulari prosequimur . Quamobrem , cum haec ita sint , nos & candorem atque prudentiam & summam aequitatem atque iustitiam S. V. R. laudamus plurimam : candorem quidem & prudentiam , quod præclare de nobis existauerit ; neque temere persuadere sibi passa fuerit , nos re non satis ante explicata & cognita aliquid aduersus negotiantes Britannicos decreturos esse : aequitatem vero & iustitiam , quod de controversia hac nullius vnquam Principis iudicium se velle subterfugere significat . Sic itaque futurum est , si forte ciuitates Hanse negotium hoc ad S. Cæs. Maiestatem & ordi-

ordines Imperii Germanici aut iam antea retulerunt, aut relaturi sunt postea: & S. V. R. rationes suas profiteat & edat, vt tota res ex bono & æquo tandem ita componatur, quo iura vicinitatis vndeque sarta & tecta permaneant. In quam partem cum S. V. R. sponte sua propendere videamus; nullum equidem nobis rogandi & admonendi locum reliquit amplius: ac potius æquitate & humanitate litterarum suarum adeo sibi nos deuinxit, vt nihil in nobis vñquam passuri simus desiderari, quod ad ornamentum & decus S. V. R. pertinere cognoverimus. Cui omnia læta & prospera ex animo optamus & precamur. Dresdæ XIII Cal. Iul. LXXXI.

XIX AD REGEM POLONIAE STEPHANVM.

Puella quædam in via publica erat interempta: ut igitur rei plectantur, vult a Stephano Augustus.

S Erenissime Rex, S. V. R. salutem dicimus, & operam nostram in omni officiorum genere promptissimam offerimus, Domine & affinis chariss. Cum minister noster Sigismundus Caluicius, &

D 4 & hu-

& huius pater Sigismundus, & frater Io-
annes, atque reliqui horum adgnati ad
nos triste quorundam facinus referrent, ac
significant, non procul a Warteburgo,
filiam, sororem & adgnatam ipsorum Vrsu-
lam, puellam innocentem aliquot sclope-
tarum ictibus in via publica proterue pe-
titam & miserrime trucidataam esse, &
pariter peterent, vt ad S. V. R. pro ipsis
scriberemus: quasi species quædam maxi-
me afflictæ iustitiae nobis ob oculos versa-
ri, & queruli manes crudeliter peremptæ
puellæ efflagitare visi sunt, ne parenti &
fratribus, & adgnatis iniustissimam filiæ, so-
roris atque adgnatæ cædem deplorantibus
deessemus. Indidit Deus æternus præstan-
tibus & generosis animis heroicos impe-
tus, vt non tantum in eiusmodi acerbis
casibus moueantur & doleant: sed etiam
in bello iusto hostibus subactis, sexum de-
biliorem reuereantur, & ab iniuria & cru-
delitate militum, immaniter iniusta vi-
ctoria sœuentium, tutum præstare cupiant.
Quamobrem haud existimamus indecens
hoc facinus ipsi Comiti Gurcano, cui li-
bello litteris his nostris inserto, hoc po-
tissimum nomine dica impingitur, vlo
modo

modo probari aut placere posse. Quem, si forte in manus hostilem gerebat animal, tamen imbelli & tenero sexui parcere, neque labem turpiter extinctæ puerilæ Gurcanorum Comitum honestæ & generosæ familiæ adficere voluisse, verosimile est. Ut autem sit, cum in maleficiis illicitæ rei studium, non exitus spectari debat & soleat; equidem si constaret, vindictam ab ipso priuatam grassatoribus mandatam, & huius accessione siue errore quodam & temere, siue consilio & data opera puellarem cædem perpetratam esse: haud equidem existimandum est, S. V. R. pro innocuo habituram esse eum, qui in contemptum magistratus contra ius & leges vim publicam fecerit, & mali huius quasi autor extiterit. Atque hæc cum ita sint, a S. R. V. maximopere petimus, ut patri per immane facinus orbato filia dulcissima, fratribus per vim iniustam spoliatis sorore amantisima, & adgnatis, sanguinem suum crudelissime profusum, legitime reposcentibus, sine mora longiori ius & æquum administret: neque viros bonos de manifesta vi conquerentes ante iustissimum S. V. tribunal prostratos, diu-

tius in luctu iacere patiatur. Peteremus
hoc a S. R. V. pluribus, nisi rei dignitas &
delicti magnitudo atque atrocitas per se
ipsam pro supplicibus loqueretur: & pla-
ne persuasum nobis esset, S. R. V. pro in-
signi æquitate sua ius postulantibus ita redi-
tetur esse, ut & dignitatis suæ auctori-
tatem iustissima & seuera animaduersione
in reos proterue nocentes augeat; & pul-
cherrimum atque insigne exemplum sta-
tuat, quo facinorosi graffatores a malefi-
ciis deterreantur, & innocentes atque
imbellis homines sub Regis iustissimi pro-
tectione ac tutela illius sic securi conser-
uentur. Bene valeat S. R. V. Data ex ar-
ce nostra Anneburgensi. Calend. Ian.
LXXVIII.

XX REGI POLONIAE STEPHANO.

*Subditi quidam Augusti hereditatem pe-
tebant in Polonia, quam litteris ad Regem,
datis Elector iuuare studebat.*

OStendunt nobis viri nobiles, fideles
nostrí & sincere nobis dilecti, Io-
annes Beringhusius, præfectus no-
ster equitum, & Iacobus & Rudolphus
Furstenbergii fratres, amplam sibi heredi-
tatem

tatem defuncto Georgio Furstenbergio obuenisse: ex qua S. V. R. cliens Gothardus Heningius possessiones & bona aliquot detraxerit, & aliena iura legitima hæreditatibus submotis, inuaserit: quæ omnia, cuiusmodi sint, ex Beringhusii, & Furstenbergiorum mandatario etiam pluribus intelligere poterit S. V. R.: cui ut causam diligenter commendaremus, iidem a nobis maiorem in modum submisse petiuerunt. Nos vero litterarum nostrarum intercessionem illis negare non potuimus: cum quod commendationem hanc nostram sibi plurimum profuturam arbitrarentur: tum vero, quod nobis æquum videretur, legitimis successoribus ius suum integrum & illabefactum conseruari. Cumque S. R. V. pro insigni æquitate sua plane eadem sentire persuasum nobis sit: itaque ab ea vehementer etiam atque etiam officiose petimus, vt Beringhusium clientem nostrum, & Furstenbergios hos Regio suo fauore complecti, & in controværia, quam illis iniustus litigator mouet, autoritatem ita interponere velit suam, vt & ad plenam possessionem bonorum legitimo successionis iure sibi debitam,

bitam, sine vlla vexatione & molestia quam expeditissime perueniant, & in hoc S. V. R. iustissimo patrocinio atque protectione, quiete esse & permanere possint. Hac ratione non paruus accederet cumulus ad laudem iustitiae, quæ passim pulcherissimo præconio alitur. S. R. V. non tantum viros fortes hoc beneficio sibi adiunget, sed & nobis gratissimum fecerit, si intellexerimus, commendationem hanc nostram, quæ non vulgaris est, iustum pondus habuisse apud S. V. R., quam rectissime valere cupimus. Ex arce nostra Annenburgensi. V. Id. Ian. LXXVIII.

XXI. EIDEM.

Ha litteræ in se continent commendationem Thome ab Embden, qui Sigismundo Augusto, Regi Pol. operam in re militari probauerat, suasque fortunas in hanc impenderat: iam vero restitutionem earum postulaturus in Poloniam contendit, & Augusti literas offert.

SÆpe alias ad S. V. R. huius argumenti litteras mittimus, ne iis, qui nos rongan, aliiquid de nostra amicitia imminentum esse ostendamus. Ab hoc tempore,

re, cum fortis & strenuus vir Thomas ab
Enibden a nobis peteret, ut caussam suam
S. V. R. commendaremus, equidem tan-
to studio & voluntate fecimus, vt, si nostra
res esset, commendare eam S. V. R. maio-
re diligentia non possemus: non tantum
vt clienti nostro, cui benignissime cupi-
mus, gratificemur, sed quod is fidem,
constantiam & merita in regnum Poloniæ;
Sigismundo Augusto, piæ memoriæ, per
multos annos operam, integritatem &
fortitudinem suam in re militari egregie
probauit, ac deinde post eius ex hac vita
discessum, inclyto Poloniæ regno, & S. V.
R. cum laude sua ita militauit, ut vim at-
que impressionem immanissimorum ho-
stium suo loco fortissime resistendo susti-
neret: & in rerum ad bellum necessaria-
rum penuria impendio omnium fortuna-
rum suarum eam reipubl. partem, quæ ad-
flictissima erat, subleuaret: & ne omni pe-
nitus alio præsidio denudata collaboretur,
quantum in ipso fuit, fulciret. Quis non
fateatur, illum S. V. R. benevolentia, no-
straque commendatione, & omnium in
vniuersum bonorum studio atque fauore
dignissimum esse? ita plane, vt cui S. V. R.
egre-

egregius, & omni virtutum genere præ-
stans animus perspectus esset, (omnibus
autem cognitus & perspectus esse debet;) is
omnino dubitare non possit, quin
S. V. R. sua sponte Thomam hunc singula-
ri voluntate prosecutra, & auctoritatem
suam in hoc negotio ita sit interpositura,
vt non tantum ad pecuniam sibi ex stipen-
diis promissis debitam, & reipublicæ in
summas difficultates coniectæ liberalissi-
me creditam, & in communem utilitatem
versam, quam facillime, & sine longiori
mora perueniat ; sed porro etiam ob si-
dem regno Poloniæ constantissime præsti-
tam ea, quæ inuita meretur virtus, præ-
mia consequatur. Ac quamuis hæc omnia
eiusmodi sint, vt per se valeant plurimum,
nullumque pene intercessioni nostræ lo-
cum relinquant: tamen more magis vſita-
to, quam quod res postulet, vt S. V. R. ita
fieri iubeat & mandet, atque clientem
hunc nostrum ab omni incommmodo
& detrimento integrum & sincerum
conferuet, vehementer etiam atque et-
iam rogamus officiose. Non tantum
hoc conducet laudibus S. R. V. quæ
beneficio in hunc suo multis egregiis vi-
ris

ris animum addet , vt cupidissime & promptissime operam suam inclyto Poloniae regno, si forte ea vti aliquando velit, nauaturi sint : sed omnes etiam existimabunt, S.V.R. iustitia & æquitate sua in eum usam esse, qui & indemnus seruetur, & S. V. R. fauorem in primis & omnium bonorum virorum studia ita promeruerit , vt ne, si quid forte , quod tamen fieri non posse putamus , petitioni eius negatum fuerit, id virtuti atque merito fortissimi militis detractum existimari possit. Valeat bene S. V. R. & rerum successu felicissimo perpetuo gaudeat. Ex arce Annabergensi V. Id. Ian. LXXVIII.

XXII. AD EVNDEM.

Hac epistola tractat nobile illud argumentum de negotio Ser. Marchionum Brandenb. in causa Borussica. His enim litteris Augustus impetrare conatur a Stephano Rege, vt concedat in Poloniam mittere legatos Saxonicos, qui legatis Georg. Frid. ipsique presto sint.

Serenissime Rex, Domine & adfinis noster plurimum obseruande. S. R. V. salutem dicimus, & operam nostram

in o-

in omni officiorum genere paratissimam offerimus. Cum illustrissimus Princeps, cognatus noster instar filii charissimus, Dominus Georgius Fridericus, Marchio Brandenburgensis &c. hoc tempore legatos suos ad S. V. missurus esset, & per litteras nobis ostendisset, optima spe duci, grauissimum illud negotium, quod cum S. V. R. tractandum suscepisset, commodius confectum iri, si Dil. suæ oratoribus etiam nostri & aliorum cognatorum Principum consilarii adiungerentur: sane pro ea necessitudine, & sanguinis & auitorum patitorum ratione, quæ nobis cum illustriss. Marchionibus Brandenburgensibus arctissima intercedit, deesse hac in parte Dil. eius noluimus. Consiliariis itaque nostris, qui has S. R. V. litteras reddent, nobilissimis & clarissimis viris Abrahamo Boccio in Pollach, & Chlipusen, & Andreæ Pauli iureconsulto, in mandatis dedimus, ut illustrissimo Principi, Dn. Georgio Friderico & Dil. eius legatis ad S. R. V. euntibus præsto essent, & vna cum aliorum cognatorum Principum consiliariis, & communis sententia apud S. R. V. ea, qua pars est, obseruantia intercedendo, promouere nitieren-

rentur omnia, quæ ad firmissimam coniunctionem inter Potentissimum Poloniæ regnum, & Illustrissimos Marchiones Brandenburgenses custodiendam & stabilendam præcipue facere videbuntur. Ac veluti non dubitamus, S. R. V. pro singulari prudentia sua hoc nostrum studium probaturam esse: ita amanter & officiose rogamus, ut consiliarios nostros benigne audiat, & fidem illis non grauare adhibeat. Erit hoc nobis gratum, & vbi intellecterimus, ad eam benevolentiam, qua S. V. R. sua sponte Illustrissimos Marchiones Brandenburgenses complectitur, etiam nostri intuitu cumulum aliquem accessisse: libenter equidem fatebimur, nos pro beneficio hoc S. V. R. obstrictos esse. Bene valeat S. R. V. & sibi certo persuadeat, nos eius amicitiæ, quæ multis retro annis inter fortissimas Germanorum & Polonorum gentes sanctissime culta fuit, porro etiam tuendæ studiofissimos esse. Borstensteinii XV Calend. Febr. LXXVIII.

XXIII Magnifico, sincere nobis dilecto,
 Domino IOANNI ZAMOSCIO, Belcensi,
 Rieffinensi Zamechensique Capitaneo
 ac regni Poloniæ ProCancel-
 lario.

*Summo erga hanc Potentissimam do-
 mum affectu ductus Augustus Ser. eandem
 cauffam ProCancellario quam optime com-
 mendat.*

Magna inter nos & Illustrissimos
 Principes Marchiones Brandenburgi-
 gicos intercedit necessitudo, ma-
 gna propinquitas & coniunctio: sic fit, ut
 de Delectionum ipsarum negotio non mi-
 nus laboremus, quam si id nostrum esset.
 Itaque & legatos, iam antea in Borussiam
 ad Serenissim. Poloniæ Regem misimus, &
 Dominum Marchionem Georgium Fride-
 ricum ad comitia Varsouiensia properan-
 tem ut sequerentur, mandauimus: adeo-
 que omnia facere & curare diligenter ius-
 simus,

*Integrum mihi sit ob adfinitatem rerumque conne-
 xionem has epistolas iis admiscere, quæ ad
 Regem scriptæ sunt: neque virio vertatur, in-
 serendum rescripta, obligationes &c. epistola-
 rum inscriptionem præse ferre.*

simus, quæ ad expeditam rationem eius
causæ, ob quam Dominus Marchio iter
hoc suscepit, pertinere videbuntur. Quam-
obrem, cum equidem legati nostri paullo
antehac ex Borussia reuersi, nobis tuum
præcipue studium, laborem, consilium &
operam prædicassent, qua Dominos Mar-
chiones tam apud Regem, quam in publi-
co regni senatu ornasses atque adiuuisses:
equidem nobis id gratissimum fuit, &
consiliariis nostris hinc iterum abeuntibus
in mandatis dedimus, vt de nostra erga-
te benevolentia te certiorem redderent,
& ostenderent, nos Dominorum Marchio-
num caussa omnia velle: sic, ut nihil nobis
gratius facere possit Humanitas tua, quam
si intellexerimus, te pro tua auctoritate,
qua apud S. Regem Poloniæ merito pluri-
mum vales, Illustrissimorum Principum,
Dominorum Marchionum negotium ex
Dil. ipsarum sententia confecisse. Ideo-
que vt non grauate id facias, etiam atque
etiam rogamus, magnoque abs te opere
petimus, vt omnibus, quibus maxime po-
teris rebus, quoad tua fides & dignitas
patietur (poteris autem quam plurimum)
Dil. ipsarum commodes, tibique persua-

E 2

deas

deas, te optimis & gratissimis Principibus
gratificari. Vale. Dresdæ IX. Calend.
Febr. LXXVIII.

XXIV.

Reuerendissimo Domino, amico nobis
charissimo Domino PETRO DMMI-
WOLSKI, Episcopo Plocensi, & regni
Poloniae Cancellario.

*Idem facit & in hac epistola apud Can-
cellarium.*

SAlutem & operam nostram in omni
officiorum genere paratisimam. Re-
uerendissime Domine, amice nobis
plurimum dilecte. Non tantum ex litte-
ris Dil. V., sed ex sermonibus legatorum
nostrorum cognouimus, quæ Dil. V. egre-
gia erga nos sit voluntas, quodque præci-
puum studium, labor & consilium extite-
rit in promouendo negotio Illustrissimo-
rum Principum, Dominorum Marchio-
num Brandenburgorum, qui cum & san-
guinis propinquitate, & plurimis officiis
nobis sint coniunctissimi; fieri profecto
aliter non potest, quam ut operam, quæ
per Dil. V. in hac causa fideliter nauata-
est, nobis quoque impenderet. Quamob-
rem

rem Dil. V. gratias agimus singulares, ac porro etiam atque etiam rogamus, vt de suo erga nos animo nihil vnquam minui patiatur. Et si ea, quæ in Dominos Marchiones Brandenburgicos officia contulit, vult etiam nobis gratiofa efficere, quamquam hæc sunt gratissima: hoc quoque det, & largiatur & nobis & Dominis Marchionibus, quod sua auctoritate, qua apud S. Polonia Regem & Regni Ordines merito suo valet, plurimum perficiat, vt quod iam antea publice decretum est, id Domini Marchiones sine omni incommodo & molestia sincerum atque integrum consequantur. Ponet profecto Dil. V. hoc suum studium apud gratissimos atque optimos Principes, & nos perpetua id benevolentia compensaturi sumus: valde enim omnia Illustrissimorum Dominorum Marchionum caufa cupimus. Bene valeat Dil. V. & nos, vt facit, perpetuo amet. Dresdæ VIII. Cal. Feb. LXXVIII.

XXV Magnifico, sincere nobis dilecto,
Domino IOANNI DE SLVZEVV^O, Pala-
 tino Bizestensi, Capitaneo Coninensi
 & Midziszecensi.

Hic ad auxilium in eadem caussa ferendum Sluzewus humanissime inuitatur.

Quae tua sit auctoritas cum apud Re-
 gem Poloniæ, tum in senatu regni
 publico, videmus nobis de sermo-
 nibus legatorum nostrorum, quos nuper
 in Borussiam misimus, satis perspexisse:
 ii porro nobis ostenderunt, qua fide, in-
 tegritate & diligentia versatus sis in illo
 negotio, quod Illustrissimus Princeps, Do-
 minus Georgius Fridericus Marchio Bran-
 denburgicus ad S. Polonorum Regem &
 Regni Ordines referri curauit. Pergra-
 tum nobis fuit egregium hoc studium,
 tum propter summam Domini Marchio-
 nis Brandenburgici coniunctionem, & sin-
 gularem necessitudinem atque amorem,
 quo Dil. eius complectimur. Quare of-
 ficium si hoc tuum magno cumulo auge-
 re, & tam de nobis, quam de Domino
 Marchione etiam porro bene mereri vo-
 les, (velle autem, & posse te plane non-
 dubitamus) fac, quæsumus, ut consiliariis
 nostris,

nostris, quos huius rei gratia iam denuo
ablegauimus, facilis ad te pateat aditus,
& opera tua cum Dom. Marchione, tum
legatis nostris, quoad dignitas & fides tua
patietur, ne desit. Id si feceris, expe-
riieris, gratissimo & optimo te Principi
commodasse: & nostram erga te bene-
uolentiam plane confirmabis. Vale,
Dresdæ VIII.Cal.Febr.LXXVIII.

XXVI. Magnifico, sincere nobis dilecto,
Domino PETRO DEZBOROVV, Palatino
& Capitaneo Generali Cracouiensi.

*En nouum singularis amoris in Sererenis.
March. Brandenb. indicium, quod Augustus
Ser. Capitaneo Generali Cracou. sedit.*

Legati nostri, quos nuper in Borus-
siam misimus, huc reuersi, mirificas
apud nos tibi gratias egerunt, ut
nullum honorem sibi haberi potuisse di-
cerent, qui a te esset prætermissus. No-
bis cum hoc, tum vero illud quoque per-
gratum fuit, quod omnia tu sedulo fece-
ris, quæ per illos agi tecum volebamus.
Huius autem negotii ad exitum recte per-
ducendi caufsa, cum iidem consiliarii no-
stri a nobis iam denuo ad comitia Varso-

uiensia ablegarentur, pariter tibi significandum esse duximus, nihil in hoc genere officii & studii in Illustrissimum Principem, Dominum Georgium Fridericum Marchionem Brandenburgicum a te collatum fuisse, quod non aequum gratum habeamus, ac si in nos contulisses. Quando autem, quemadmodum omnes existimant, tua virtute consecutus es, ut approbante Rege, & libentissimis Poloniae procuribus, auctoritate tua, quae velis, consequare; petimus a te benigne, quae legati nostri postulabunt aequa, & haec, te illis non grauare commodante, impetrant; adeoque Illustrissimus Marchio Dominus Georgius Fridericus sentiat, nostram Dil. eius amicitiam & summam conjunctionem, etiam cum longissime absimus, apud te profuisse. Sic enim fiet, ut & officium, quod Dil. eius iam antea probasti, magno cumulo augeas, & nobis Dil. eius studiosissimis gratissimum facias, quod nostra vicissim erga te benevolentia compensare cupiamus. Vale. Dresdae LXXVIII. VIII. Cal. Febr.

XXVII. REGI POLONIAE STE-
PHANO.

*Gratias agit Stephano Ser. Augustus pro
fauore per suam intercessionem Marchionem
Ser. tributo; simulque nouos legatos mittit,
qui gratias referrent, aliaque ad negotium
spectantia efficerent.*

Serenissime Rex, Serenitati Regiae Ve-
stræ salutem dicimus, & operam no-
stram in omni genere promptissimam
offerimus, & prolixè pollicemur. Domine
ad finis & amice noster plurimum obser-
uande. Eodem die, quod nos singulari
quodam fato accidisse arbitramur, & le-
gati nostri ex Borussia redierunt ad nos
cum litteris S. R. V. scriptis, & Illustrissi-
mus Princeps, Dominus Georgius Frideri-
cus Marchio Brandenburgensis, cognatus
noster instar filii charissimus, hac in Polo-
niā iter faciens, mirificas S. R. V. apud
nos gratias egit, cum diceret, omnia S. R.
V. in negotio Borussiaco ob nostram in-
tercessionem accumulatissime & libera-
lissime Dil. suæ tribuisse: ad quam com-
memorationem veluti testes in re præsen-
ti etiam legati nostri accesserunt, qui con-

E 5

firma-

fimarunt , a S. R. V. & se tractatos fuisse benignissime, & nullius hominis non tantum in hac caussa, sed etiam in Gedanensi pacificatione auctoritatem & gratiam valuisse plus, quam nostram. Vtrumque autem cum iucundissimum nobis esse Illusterrimus Marchio Brandenburgicus intelligeret, & sibi persuaderet, si quid porro supereisset, de quo forte laborandum foret, id tum demum committeretur: vehementer etiam atque etiam a nobis petitiit, ut nos legatos nostros Varsouiam cum Dil. sua proficiisci iuberemus. Etsi autem nobis dubium nullum omnino erat, quin cum antea nostra caussa, tum iam etiam S.R.V. suæ constantiæ gratia mansura esset in eadem ista erga Dominum Marchionem liberalitate : tamen pro nostro in Dil. eius amore , & summa coniunctione deesse hac in parte nostri amantissimo Principi nequaquam voluimus , præser-tim cum ex S.R.V. litteris eiusmodi se erga nos ostenderet benevolentia & huma-nitas, vt consideremus , legatorum no-strorum redditum S. V. R. iucundum potius , quam onerosum futurum esse. Eosdem igitur consiliarios nostros, nobiles & cla-

clarissimos viros Abrahamum Boccium a
Pollach & Chliphusen, & Dominum An-
dreas Pauli iurisconsultum, ad S.R.V. ab-
legauimus cum mandatis, vt S.R.V. pro
singulari erga nos benevolentia sua grati-
as officiose agerent. & nostris verbis etiam
rogarent, ut S.R.V. ea, quæ tam in cauſſa
Ducatus Borussiaci, quam in tractatione
Dantiscana, iam antea fecit, & liberaliſſi-
me in ſe recepit, etiam ad exitum augeri
& cumulari per auctoritatem ſuam Regi-
am velit. Ac fi quid forte pro varietati-
bus horum temporum & hominum inci-
derit, quo Domino Marchioni Branden-
burgico opera & voluntas & imperium,
S. V. R. accederent, vti noſtra commen-
datione & S.R.V. singulari beneficio, to-
tum negotium hoc commodiffime & ex-
ſententia Domini Marchionis expediatur,
ac de reliquis pacificationis Dantiscanæ e-
iusmodi conditionibus transfigatur, vt
Gedanenses noſtram hanc intercessio-
nem, ſibi profuſiſſe plurimum intelligent,
nec habeant, cur ipsam reiicere poſſint, ac-
cipiant, noſtrorumque consiliariorū fi-
delibus monitis pareant. De quibus o-
mnibus, & S.R.V. legatos noſtrōs benigne
audie-

audierit, eisque, quod cupimus, fidem adhibuerit, equidem & nostram de sua erga nos singulari benevolentia persuasione plane confirmauerit, & Dominum Marchionem officiosissimum & optimum Principem ad suam necessitudinem beneficio hoc adiunxerit: ex cuius obseruantia & gratitudine, atque adeo, quo inter Germaniae proceres plurimum valeat, splendore ac gratia magnam voluptatem perpetuo capture est S. R. V. Quamobrem valere, & nos, ut instituit, amare etiam porro cupimus. Dresden VII. Cal. Febr. Ao. LXXVIII.

XXVIII. REGI POLONIAE. STEPHANO.

Simon Queisius in bello, quod Liuoniam vastauerat, suas perdiderat facultates, & filiolam: has autem ut repararet, castra contra Moscum sequi optat, utque noti damnaretur, commendatur hic Regi Poloniarum ab Augusto Serenissimo.

Quemadmodum præclara illa omnia, quæ S. R. V. magno animo & consilio pro salute communi aduersus reipubl. Christianæ immanissimos hostes induit, splendore suo & vi quadam heroi-

roica omnes bonos atque fortis viros in admirationem rapiunt, & incendunt cupiditate militandi in iis castris, quæ ducis mirifica & excellens virtus atque animi fortitudo commendat, & caussæ bonitas atque cœli fauor tegit & prosequitur: ita nos pro nullis ad S.V.R. scribimus, quam pro iis, quos natura, voluntate & studio ad commilitium S.R.V. ferri animaduer-timus. Horum autem in numero etiam nobilem virum Simonem Queisium reponimus, qui cum olim Reuerendiss. Princi-pi Dømino Wilhelmo, Archi-Episcopo Rigeni & Marchioni Brandenburgico &c. piæ memoriæ, pro Aulæ Magistro ita fideliter inseruiisset, ut liberalitatem gratissimi patroni erga se pronocaret, & non contemnendis fundis & prædiis augere-tur: fatali tandem clade & funestissima illa tempestate, quæ totam pene Prouinciam, Liuonię inundauit & euerit, adflictus & ipse & liberi eius a barbaris præ-donibus, & in seruitutem Mosconiticam fuerunt abducti. Ex qua tamen Dei mi-serentis benignitate una cum filio suo e-vasit, in summis miseriis & calamitatibus nouem annorum filiola necessario relicta: quam

quam pius pariter & solicitus pater, vel
prece, vel pretio, vel vi, si posset, ex foedis-
sima illa tam corporis, quam animæ car-
nificina cripere optat. Quare & in exer-
citu S.V.R. eques aliquot stipendia facere,
& omnia adire periçula cupit, quo iactu-
ram bonorum, quam postulat, resarciat,
& desertæ filiolæ opem ferat. Non puta-
mus, S.V. R. iam expectare, quibus verbis
Quiescium hunc commendemus. Pro sua
enim prudentia facile intelligit, non mo-
do vltro venientem in castra admitten-
dum, sed procul etiam remotum omnis
gratiæ & fauoris significatione inuitan-
dum esse eiusmodi hominem, cui non
tantum hostium vires, ingenia, impetus,
(neque enim consilia dicere libet;) & co-
natus, sed & locorum, in quibus bellum
gerendum est, situs, viæ, semitæ diuerticu-
la & reliqua omnia explorata sunt: qui-
que iustissima vindictæ cupiditate plane
ardeat, & vigilantissime in omnem occa-
sionem intentus futurus, neque ante ac-
quieturus sit, quam animo atque dolori
suo, quem ex filiolæ raptæ desiderio &
crudelitate improbissimorum latronum
sensit maximum, ad postremum satisfe-
cerit

cerit: adeoque S.V. R. re ipsa probauerit, se cum in poenis ab infensissimis plagiariis sumendis acerrimum exactorem, tum vero in propagatione salutis publicæ cordatum defensorem esse. Tantum itaque a S. V. R. id petimus, ut Queisum hunc in album fortissimorum suorum equitum adscribat, & post pacatam Liuoniam, & Moscos oppressos & deletos, in bonorum suorum possessionem restituat. Capiet profecto S. R. V. ex virtute, obseruantia & vigilantia hominis strenui præcipuam aliquam voluptatem, & ex opera eius, quam summa fide, & animi præsentis constantia; tam in toga, quam in armis præstabit, vtilitatem maximam: & nobis gratissimum faciet, qui Queisio benignissime cupimus. Bene valeat S. R. V. & nos amore illo suo singulari amet perpetuo. Datum ex arce nostra Anneburgensi, Non. Aug. LXXX.

XXIX. REGI POLONIAE, STEPHANO.

Ser. Augustus confirmat Pol. Regem in proposito Moscum oppugnandi, atque ad id negotium nobilem quendam hominem commensdat, qui militis munia expleret.

Quo

Quo celebrior & illustrior est fama,
& iustior causa belli a S. V. R. ad-
uersus immanissimum Moscouiae ty-
rannum suscepti; eo maior est bonorum
& fortissimorum militum cupiditas adiun-
gendi se castris S. R. V. quos splendor, &
rerum gestarum institutarumque gloria
ita incendit, ut relictis propinquis & ne-
cessariis suis eo se conferre constituerint,
vbi S. R. V. operam egregiam aduersus
hostem nauando maximopere declarare,
& re ipsa comprobare possint fidem, con-
scientiam & fortitudinem suam. Hunc
igitur equestris ordinis hominem, quem
scimus a iuuentute sua sub fortissimis bel-
li ducibus duodecies stipendia cum laude
absoluisse; & existimamus pulcherrimos
S. V. R. conatus manu & scientia rei milita-
ris, vel maxime adiuuare posse: noluimus
sine litteris nostris dimittere: non, quod il-
lum commendatione nostra magnopere in-
digere arbitremur; sed ut ipsi ad S. V. R.
aditum patefaceremus, ac testimonium tri-
buueremus virtuti eius debitum. Quæcum
ita sint, a S. V. R. amanter & officiose peti-
mus, ut clientem hunc nostrum in mili-
tum

tum suorum album adscribat, eoque loco
constituat, quem voluntas & animus eius
pro Christianæ reipubl. salute, & S. V. R.
laude pugnandi studio flagrantissimus me-
retur & postulat. Id si faciet S. R. V. non
male profecto rationibus suis consulet, &
castra sua optimi militis atque equitis stre-
nui virtute hac occasione aucta esse sentiet:
& nos existimabimus, officium in hoc ge-
nere nostrum, aliquoties iam iteratum,
non ingratum esse S. V. R. quam beneua-
lere cupimus, & pro commodo Christianitatis
lætissimis gloriose victoriae succes-
sibus vti ex animo cupimus. Dresdæ Prid.
Cal. Nou. LXXX.

XXX AVGVSTVS AD REGEM POLO- NIAE STEPHANVM.

*Io. Buringius Regis Pol. minister amici-
tiam simulans Ser. Holsatiæ Ducis quas-
dam eripuerat, & has reddere nolebat: pro
buius igitur caufsa Ser. Augustus rogatus ad
Stephanum litteras mittit.*

Illustrissimus Princeps, cognatus & ad-
finis noster charissimus, Dominus Ma-
gnum Dux Holsatiæ &c. nobis per Dil-
fuz consiliarium Ioannem Bauarum signi-
fica-

ficauit: S. R. V. subditum Ioanneum Burin-
gium, prætextu amicitia, quam se cum
Dil. ipsius sancte colere simulasset, ar-
ces & præfecturas aliquot in Liuonia
Dil. eius præripuisse. Et quamuis a S. V.
R. iussus esset, easdem Dil. eius restituere:
tamen neque S. R. V. iustissimis mandatis
haec tenus paruisse, neque quicquam præ-
termisssie eorum, quæ ad interuersionem
iuris pertinerent, quod Dil. eius ex Mo-
scouicis rapinis adhuc reliquum esset.
Quamobrem a nobis petiit, ut litteras has
pro Dil. ipsius ad S. V. R. scriberemus.
Quod nos non tantum pro ea necessitu-
dine, quæ nobis cum Dil. eius intercedit,
libenter audiuimus: sed ideo etiam feci-
mus libentius, quod de S. R. V. animo
omnis æquitatis & iustitiæ studiosissimo
nobis exploratum, & voluntas atque be-
nevolentia eiusdem erga nos singularis
perspecta esset. Cum plane dubium nobis
nullum sit, si S. R. V. penitus cognouerit,
quibus artibus Buringius arces & præfe-
cturas alienas inuaserit, quin pro bonita-
te naturæ suæ non modo Buringio seuerius
præceptura sit, ut per fraudem oc-
cupata restituat: sed ab ipso etiam tantæ

CON-

contumaciæ, qua haec tenus S. R. V. amicis & innocentissimo Principe usus est, meritas & dignas poenas exactura sit, ne exemplo hoc perniciosissimo homines proterui per dolos auertere aliena adsuescant, miserque impune violetur. Itaque a S. V. R. amanter etiam atque etiam perimus, ut cognato & adfini nostro hac in parte commonet, & litteras has nostras, quibus Dil. eius omnia, se confecuturam esse plane sibi persuasit, plurimum valere patiatur. Id si fecerit, S. V. R. gratissimum sibi Principem adiunxerit, & nos quicquid amoris & benevolentiae in cognatum & adfinem nostrum S. V. R. contulerit, id omne nobis ipsis tributum esse existimabimus, adeoque hoc beneficium Regium omni studio & obseruantia compensabimus. Bene valeat S. R. V. & nos ut instituit, perpetua benevolentia sua complectatur. Ex arce nostra Annabergensi. Non. Febr. LXXXI.

XXXI SVMMA

Eius Responsi, quod ad Stephanum, Regem Poloniae &c. perferendum, Domino Iohanni Buzinski de Bucinin legato Regio & Capitaneo Vstroffouensi Augustus dedit.

E 2

Hic

Hic (1.) Augustus gratias agit pro benevolentia per legatum declarata (2.) de magna in barbaros victoria letatur, bancque gratulatur, & plures huius generis optat (3.) pecuniam, quam ad bellum continuandum Stephanus desiderauerat, promittit, quamvis id sine incommodo fieri non possit.

Illustrissimo Duci Sax. Electori, Domino nostro clementissimo, gratissima fuit salutatio & S. R. erga se benevolentiae declaratio, quam magnificus Dominus legatus S. eius nomine & verbis copiose & diserte exposuit. Quamobrem Illustriss. Sax. Dux Elector Serenitati eius Regiae gratias amanter agit, & eidem opem & studia sua in omni officiorum genere paratissima prolixè pollicetur & offert: pariterque vitam longæuam, valedutinis integritatem, victoram aduersus Christianitatis hostes, eaque omnia, in quibus reipubl. Christianæ salus atque regni incrementa continentur, sincere precatur & optat. Ac porro commemorationem rerum a S. eius R. contra barbaros hostes præclare gestarum hilari vultu & fronte serenissima exceptit: vt pote qui mirifice lætetur & gaudeat de S. eius Regiae

giæ fortuna & succesibus. De quibus et-
si antehac rumore nuntio aliquid cogno-
uit; tamen quia non recordatur, vllas hac
de re litteras fuisse redditas: hæc incerta
& dubia fuerunt hactenus, quæ iam ex
oratione Regii legati ita conspicua, plana
& certa cognouit, vt non tantum rerum
in hostem præclare gestarum ordinem,
sed & totius militiae atque belli admini-
strati rationes inde perspexerit, ac peni-
tus animaduerterit; Sereniss. Poloniæ Re-
gem tam in capiendis consiliis pruden-
tiam, quam in rebus agendis celeritatem
& fortitudinem ita adhibuisse, vt omnia
pariter tam cordati & magnanimi Ducis,
quam strenui atque inpauidi militis mu-
nera obeundo eam sibi laudem pepererit,
quam omnis alet posteritas ac sæculorum
celebrabit fama sequentium. Hanc itaque
felicitatem atque fortunam S. eius R. Illu-
strissimus Saxonie Elector ex animo gra-
tulatur, ac votis omnibus optat, vt S. eius
R. belli huius pro salute populi Christiani
laudabiliter suscepti reliquias pari deinceps
felicitate atque successu conficiat:
extrema primis attexat, patriam barbari
hostis metu liberet, & truculentissimi ty-

F 3

ranni

ranni crudelitatem, qua hactenus in eius homines innocentes immaniter usus est, acerrime vindicet, prædones Christianitatis contundat, opprimat, fundat, ac stirpitus deleat, aut saltem ad desperationem, & extremas angustias redactos ita frangat, reprimat & exterminet, ut nullas illi ferant, sed a victore Rege suppliciter petant, & latae accipient conditiones. Quæ cum eiusmodi esse debeant, ut laudi atque Illustrissimæ gloriæ S. eius R. pares sint: existimauit Illustrissimus Dux Sax Elector, sapientissimum Regem hac in parte consilio Excelositatis suæ non egere: quæ non existimat, se plus de victoriæ persequendæ rationibus videre atque prospicere, quam tot amplissimi & præstantissimi senatores in regno Poloniæ videant & prospiciant, quos gratia commouere Illustrissima eius Celsitudo de tota hac remelius rectiusque potest, quam ut S. R. publico procerum consilio utatur, eaque porro de sententia illorum suscipiat & peragat, quæ ab omnibus cum magna admiracione laudentur in posterum. Ad hæc igitur præclare perscienda, cum sua sponte S. Polon. Regem ferri, & in comparando
nouq.

novo exercitu & copiis maioribus occupatum esse, Illustrissimus Dux Sax. Elector animaduertat: facile etiam intelligi potest, ad hanc rem pecunia opus esse, neque tantam belli molem sine neruis sustineri posse. Quare etsi amicissimi Regis difficultates ope aliqua insigni leuare, & pulcherrimos eius conatus prouehere cuperet; tamen ita se res habet, quod plurimis & maximis in pensis Excelositatis eius ærarium nonnihil est exinanitum: ut tantum S. R. quantum præstaret libenter, gratificari non possit, nisi totum ærarium exhaustire vellet, quod in horum temporum perturbatione & statu rerum totius pene Christiani orbis publico dubio ac incerto neque tutum satis est; & certum, Serenitatem eius Regiam pro sua erga Illustrissimum Sax. Ducem Electorem, singulari amore, ac benevolentia id neque velle, neque desiderare. Nihilominus tamen, ut hoc argumento S. Polonorum Rex sentiat & intelligat, quanti Serenitatem eius Regiam Illustrissimus Sax. Dux faciat, & quo fauore res, quas præclare S. eius R. pro commodo publico instituit, prosequatur: decreuit Illustriss. Excelsi-

tas eius, pecuniam aliunde mutuo accipere, & nomen suum pro Serenitate R. creditoribus obligare, modo Illustr. Excelſ. eius de indemnitate eiusmodi conditionibus caueatur, quæ scripto comprehensæ Domino legato sunt traditæ: de quibus, vt plura verba fiant, neque necesse, neque loci huius atque temporis est. Atque hæc omnia ad Ser. Reg. diligenter referet Dominus legatus, quem Illustriss. Dux Sax. Elector fauore & gratia sua complectitur benignissime. Signatum Dresdenæ III. Calend. Feb. LXXXI.

XXXII AD REGEM POLONIAE.

En testimonium legato datum.

Magnificus & generosus Dominus Ioannes Buzinski de Bucinin, aulicus S. R. V. hic nobiscum iis mandatis, quæ S. R. V. illi ad nos perferenda dedit, præsto fuit: quem nos, tum hinc ita dimittimus, vt ad S. V. R. omnia, quæ illum hoc tempore scire vellemus, nostris verbis & fide sua referat. Quamobrem S. V. R. Domini Buzinski legationem suam renunciantem benigne audiet, & ex iis, quæ nostro exponet nomine, amanter cognoscet obseruantiam & studium nostrum,
in o-

in omni officiorum genere, quod tam ad S. R. V. quam ad Polonorum regni laudem & gloriam spectat, singulare & eximium esse. Bene valeat S. V. R. & nos vt instituit, perpetuo amet. Dresdæ III. Calend. Februarii, Anno LXXXI.

XXXIII. *Conditiones.*

I.

AD æstimationem cimeliorum, quæ pignoris loco vere obligari debent, Sereniss. Pol. Rex, artificem vnum vel duos mittet, quibus Illustrissimus Dux Elector totidem gemmarios adiunget, vt æstimationem eiusmodi ineant, quæ neque summum, neque infimum gemmarum pretium complectatur, sed talis sit, vt se intra mediocrem modum contineat, & vniuersorum æstimationis quantitas pecuniam mutuam & pensiones annuas, vt in pignoribus & hypothecis iuris est, & fieri solet, non insigniter excedat.

II.

Quoad eius fieri potest, argentum & aurum potius factum, quam gemmæ & lapides adducantur, tum quod & illius, quam horum æstimatio est longe facilior, tum

F 5

vero

90 DAV. PEIFERI
vero , quod in custodia minus est peri-
culi.

III.

Pecunia mutua S. R. mandatario
hanc cautionem adferenti cum consensu
procerum numerabitur.

IV.

Nullum hominum, Dux Saxoniae Elec-
tor, cimelio pignore dato, arresto aut a-
lio quocunque modo detinebit, sed sta-
tim debito dissoluto, & cimelia & cautio
Regia, vna cum consensu procerum, Re-
giis procuratoribus, qui pecuniam nume-
rant, restituentur, absque vlla mora aut
fraude. In rei gestæ fidem sigillum Ele-
ctorale est adfixum. Dresdenæ III. Cal. Febr.
Ao. LXXXI.

XXXIV.

Hic confitetur Augustus se Regi Polon. L.
millia florenorum mutua dedisse, & pignus
vicissim accepisse.

Nos Augustus, Dei gratia Dux Saxon. His litteris nostris significamus, notumque facimus, petente a nobis Ser. Principe Domino Stephano Rege Po- loniaæ , Domino & ad fine nostro obser- uando : quod nos in usum S. eius R. ad con-

constituendam expeditionem Moscouiticam , quinquaginta florenorum millia Misnensis æstimationis in parata pecunia mutuo dederimus : atque S. eius R. se nobis obstrinxerit, hoc debitum Cal. April. anni sequentis LXXXII. vna cum bis mille & quingentis florenis loco eius, quod interest, in ciuitate nostra Dresdensi reddere : & pro maiore fide debiti tres gemmas , videlicet Rubinum & spinellas duas auro inclusas, eius formæ, ponderis, & æstimationis, quæ in illa designatione expresse reperiuntur , quam chirographo & annuli nostri sphragide consignatam Regio legato , generoso Domino Ioanni Buzinski , ad Ser. eius R. perferendam tradidimus, nobis in pignus datas : & nisi constituto termino mutuum exsoluatur, sumam quinquaginta millium florenorum cum omni eo, quod interest, & impensis inde petere possemus , &, si tanti emptorem non capiant, vt inde debito integro satisfieri possit, residui petitio nobis nihilominus permaneat. Quemadmodum in S. R. litteris obligatoriis nobis traditis pluribus conuentionis huius parata explicata sunt. Nos igitur promittimus,

mus, & qua decet virum Principem, fide
adfirmamus, nos curaturos, vt in ciuitate &
munitione nostra Dresdensi pari, qua alia
nostra, quæ nobis chara sunt, obseruantur
diligentia & cura, etiam hæ gemmæ stu-
diose & accurate custodiantur. Ut cum
reuoluto anni spatio, S. eius R. nobis
Calend. April. quinquagies mille flore-
nos, summam capitalem, & bis mille
quingentos florenos pensionis annuæ, in
loco solutioni destinato, ciuitate nostra
Dresdensi iuxta obligationis Regiæ nor-
mam integrum, hasce etiam litteras no-
stras, cum designatione gemmarum reddi-
derit: S. eius R. oppignoratas hasce
gemmas vna cum instrumento obligatio-
nis Regiæ, & quæ huic accessit professione
regni Polonici, contributionibus præfe-
torum, ac designatione nobis a legato
tradita, absque ullo detimento nihil præ-
terea caussantes, excipientes, aut præten-
dentes restitueremus. Ac siquidem for-
te acciderit, vt sors supra dicta cum pen-
sione eodem die, qui in chirographo Re-
gio solutioni præfinitus est, numerata non
fuerit: Regiæ id Serenitati eius minime
erit damnosum; modo pecunia vigesimo
ter-

tertio Aprilis die anni Octogesimi secundi, ærario nostro inferatur. Promittimus insuper, non permisuros nos esse, vt a quoquam hominum in nostris ditionibus aut subditis nostris alibi illic arrestentur, vnde in restituendis illis S. eius R. mora vlla, aut incommoditas adferri & conciliari possit. Sin vero S.R. in mora fuerit in reddendis ad dictum terminum, quinquagies & bis mille florenis : ius & facultatem nobis integrum seruamus & esse volumus, prout supra scripto & inter nos conuentum, & in obligatione Regia cautum est : pignora illa ad liberandam fidem nostram & damnum, alienandi, distrahendi, confringendi & conflandi, vel alii modi solutionis exigenda ineundi, vt maxime ex re nostra fuerit: fide omnino bona & sine dolo malo & fraude retinere. In cuius rei testimonium has litteras reuertentes manu nostra subscripsimus, & annulo signatorio firmauimus. Datæ
Dresdæ IV. Id. April. Anno LXXXI.

Hec professio fit etiam Legato Regio.

Nos Augustus &c. harum litterarum cautione profitemur, Serenissimi Polonorum Regis legatum generosum Dominum Ioannem Buzinski tres gemmas eius formæ, ponderis & pretii, quæ in designatione nostra chirographo & annuli sphragide confirmata exprimuntur, quæ pro quinquaginta florenorum millibus ipsi Lipsiæ ad XX. huius Mensis S. R. loco numerandis hypotheca nobis dari debent, apud nos depositæ hac legē, ut si pecunia hac die iam dicta ipsi aut mandatario eius ita numerata fuerit, gemmæ hæ pignoris loco, iuxta pacta conuenta aptid nos permaneant: sin vero id non fiat, nos gemmas, ut in cistula consignatae, & apud nos depositæ sunt, Domino Ioanni Buzinski quandocunque petet, citra omnem controversiam reddamus. Quod omnino ita fore, & dolum malum abesse, fide nostra promittimus. Et ne quis de hac cautione dubitet, eandem nostro chirographo, & annulo consignauimus.
Dresdæ IV. Id. April. Anno LXXXI.

XXXVI.

Placuit ad pleniorē rei notitiam adiūcere rationem, qua Poloniarum Rex Potentiss. se obstrinxerit.

Nos Dei gratia Stephanus, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuauiae &c. harum litterarum nostrarum obli- gatione, nostro & successorum nostro. rum nomine profitemur: Illustrissimum Principem, Dominum Augustum, Ducem Saxonicum, amicum & adfinem nostrum charissimum, benevolentia erga nos adductum, quinquages mille flore- nos, quorum singuli vnum & viginti grossos, iuxta Misvensum estimationem, repræsentant, nobis mutuo dedisse: quos ita in præsenti pecunia acceptos & arario nostro illatos esse, fatemur. Cum que totum illud argentum in usus Reipubl. Poloniæ necessarios versum fuerit: spondemus & fide Regia repromittimus; integrum hanc summam Cal. April. Anni octogesimi secundi, vna cum pensio- nibus annuis, quinque in centena singularia computando, Dresdæ Illustritati eius absqueulla mora ac dilatione in mone- ta pro-

“ta proba, vti in Misnia expendi & acci-
“pi solet, publice, reponi, & in ærarium
“Illustrit. eius nostro periculo & sumptu
“referri curaturos nos esse, idque vt de
“pecunia publica, quæ ex tributo regni
“nostri colligitur, restituatur, præfectis
“ærarii nostri generosis N. & N. præcepi-
“mus, & vigore harum litterarum man-
“dauimus. Et vt de solutione hac Illu-
“strissimo adfini nostro, & eius hæredi-
“bus, successoribus plenissime sit cautum:
“nos Illustrit. eius gemmas, & aurea ci-
“melia, seu, vt vulgo vocant, clenodia
“pignori dedimus, de quorum designa-
“tione, numero & pretio, litteræ a no-
“bis vtrinque consignatae sunt separatim;
“ex quibus quid, quantumque illud sit,
“perspici potest: idque hac lege, vt, si ad
“tempus constitutum, pecunia iusta, &
“integra numeratione cum pensionibus
“debitis, secundum huius contractus pla-
“citum soluta non fuerit: Illustrit. eius
“sine vlo impedimento, vel pignoribus
“his, tanti, quanti vendi reuera possunt,
“distractis sibi satisfacere possit ipsi: vel
“si hoc placeat, Illustrit. eius etiam ius &
“fas sit, tam bona, quam homines ditio-
“nibus

EP. AD REG. POLON.

97

nibus nostris subiectos, vbiunque lo-
corum deprehendantur, arresto subiice-
re, & hucusque detinere, donec Illu-
strit. eius satisfactum fuerit plenissime.
Et quia nobis legem hanc ipsi diximus,
atque ita omnino rectam & firmam es-
se cupimus; eodem etiam consensum
ordinum & procerum regni nostri, qui
Varsouiae iam conuenerunt, aggregaui-
mus, atque Illustrit. eius scripto compre-
hensum, vna cum hac litterarum no-
strarum cautione, tradi iussimus absque
omni fraude & dolo. In cuius rei fidem
hanc cautionem subscriptissimus, & addito
sigillo Regio confirmauimus. Quæ da-
tæ sunt N. N. IV. Id. April. LXXXI. “

XXXVII AVGVSTVS DOMINO IOANNI
BVTZINSKI.

Hæc epistola de eadem agit argumento.

QVæ nostra erga Sereniss. Pol. Regem
perpetua est obseruantia, statim,
vt Dominus Georgius Burbachius
cum litteris tuis ad nos venit, præfecto
ærarii nostri mandauimus, vt aurum,
quod adferret, de sententia earum litte-
rarum, quas hac de re nuper ad te misi-
mus,

G

mus, consignatae monetæ grandioris argento permutaretur, quod paullo ante in hoc v̄su a creditoribus acceptum, & in æarium nostrum repositum fuerat. Hanc itaque pecuniam probam & iustum Dominus Burbachius, quo iussus est, huc deportabit, idque ut eo fieret commodius, nos diploma conscribi, eique tradi iussimus, quo vtatur, si quæ forte itineris difficultates inciderint. Idque ut scires, & te a nobis diligenter intelligeres, rescribere tibi placuit. Vale. Dresdæ IV. Idib. Mai. Anno LXXXI.

XXXVIII AVGVSTVS|DOMINO STEPHANO POLONORVM REGI.

Serenissimus Augustus Regis depraedat amorem, & ea, quæ per legatum proposuerat, iam facta esse ostendit.

ET si iamdiu exploratum nobis est S. R. V. pro insigni æquitate & bonitate sua, si quid in ipsam amoris & officii conferatur, re ipsa atque animo gratissimum esse: tamen gratiarum actio, qua in litteris suis ad nos humanissime scriptis vtitur, nobis fuit periucunda. Sic enim vidimus, nos a S. R. V. amari: non quod

2012

quod antea de illius erga nos egregio animo dubium nobis ullum fuerit; sed quod cognoverimus, S. R. V. alia quoque studia nostra præcipuo aliquo fauore excipere, quæ pro amicitia nostra mutua a nobis S. R. V. veluti ex pacto deberi statuebamus. Quamobrem ut reliqua huc pertinenter, quæ S. R. V. per generosum virum Dominum Ioannem Buzinski, aulicum & legatum suum dignissimum nos scire voluit, pari diligentia ac cura perfecimus; quemadmodum id de sermonibus legati sui pluribus cognoscet S. R. V. quam recte valere, & nos ut instituit, amare perpetuo vehementer cupimus. Dresdæ III.
Id. Iun. Anno LXXXI.

XXXIX RESPO NSVM.

Quod ad Regem Poloniae &c. perferendum Augustus Magnifico & Generoso viro, Domino Ioanni Buzinski de Buzenim legato Regio, & Capitaneo Ostrezzensis dedit.

Primum huius scripti caput consistit in summa amoris benevolentiaeque testificatione: secundum est, quod gratias agit pro eo honore, qui sibi tribueretur, dum Rex Augusti

G 2 consi-

*consilio in pace & rebus cum Mosco tractan-
dis uti voluerit: tertium petitionem de pe-
cunia mutua admittit: tandem de contro-
uersia quadam cum Duce Brunsuicensi agit.*

Si vnquam Illustrissimus Sax. Dux, Do-
minus Elector de benevolentia erga
se Regia dubitasset: dubitasse autem
illum, nunquam certum est: sane ex ora-
tione Domini legati, & Regiis votis pro
salute, incolumitate & Illustrissimæ Excel-
situdinis fortunis, vsque adeo amanter & sin-
cere conceptis facile intelligere potuisset,
quanti a Serenissimo & Potentissimo Po-
lonorum Rege fieret: id, vt Illustrissimæ
Excelsit. eius gratissimum est; ita e con-
traria parte S. R. obseruantiam, fidem,
operam & studia sua, in omni officiorum
genere paratissima, promptissimaque pro-
lixè pollicetur & offert: eidemque vitæ
diuturnitatem, cum integritate optimæ
valetudinis coniunctam, ac victoriæ ad-
uersus Christianitatis communes hostes
felicissimum cursum, eaque ex animo pre-
catur & exoptat omnia, quæ ad amplifica-
tionem dignitatis Regiæ, & reipubl. Chri-
stianæ salutem pertinent. Atque hæc ut
Dominus legatus pro copia & facultate
eximia

eximia sua Serenissimo ac Potentissimo Polonorum Regi, etiam pluribus verbis ad primum legationis caput renuntiet, Illustriss. excelsitas eius benigne postulat. Proximum huic est alterum legationis caput, ex quo Illustriss. Sax. Dux Elector magna cum voluptate cognouit: neque gratulationem illam, qua rerum a Sereniss. Polonorum Rege gestarum commemorationem a Domino legato nuper eodem loco factam exceptit: neque in reliquis, quæ tum proposita fuerunt, Excelsitatis eius studium atque voluptatem gratificandi S. R. V. improbari. Cumque recordetur, se tum temporis Sereniss. Polonorum Regi sententiam suam de bello Moscouitico persequendo exquirenti, nihil subiecisse aliud, quam quod certo sciebat: S. eius Regiam pro singulari prudentia sua, nullo etiam monente, per se facturam esse, videlicet, ut de consilio sapientissimorum in regno Polono procerum institueret, & perficeret omnia, quæ ad reliquias belli Moscouitici delendas necessaria viderentur: non leue equidem eximii cuiusdam amoris erga se Regii argumentum id esse statuit: quod, re post-

G 3 ea de-

ea deliberata, S. eius R. cum Illustriss. Ex-
celsitate sua iudicauerit communicandum
esse, id quod in amplissimo Polonici re-
gni senatu, de hoste contumace, vltro
quidem ad pacem deprecandam veniente,
sed præ fastu & superbia nullas satis ho-
nestas conditiones, quæ ipsi ferebantur,
subeunte penitus debellando, & de tri-
butis ad rem hanc conferendis publico
decretum fuit. Et quia Illustrissimus Sax.
Dux Elector iam antea cognitum & explo-
ratum habet, Serenissimum Polonorum
Regem, neque illa ambitione, neque aliena
inuadendi cupiditate impulsum, bel-
lum hoc suscepisse, ac potius ad propul-
sandam vim iniustam, & ad opprimendam
trudelissimorum Iatronum sanguinariam
Ianienam, quam haec tenus in ciibus in-
nocuis immaniter exercuerunt, iustissima
arma induisse: nihil equidem dubitat,
quin Deus opt. max. acerrimus impiorum
tyrannorum & immanium grassatorum ho-
stis, ac oppressæ innocentiae certissimus
vindex Serenitatem eius Regiam cum to-
to suo exercitu præpotenti patrocinio pro-
tectorus, & huius pulcherrimos pro resti-
tuenda quiete publica conatus coelesti suo
fauo-

fauore ita sit persecuturus, vt S. eius R. tam sibi gloriosam, quam toti orbi Christiano utilem & salutarem pacem constitueret, adeoque prædones barbaros, feros, immites & humani cruoris fitientissimos pessundare, atque a focis & aris quam longissime submouere possit. Idque cum ita omnino futurum esse Illustriss. Sax. Dux Elector, iam antea animo quasi præfigiret: petitionem Regiam de pecunia mutua duplii de caussa libentissime admisit. Primum, vt voluntatem suam hoc veluti experimento amicissimo Regi comprobaret: deinde vt consilia pro pace publica & orbis Christiani commodo laudabiliter suscepta, non tantum approbatione sua, sed etiam re ipsa saltē aliqua ex parte iuuaret. Etsi vero hoc nomine gratiarum actionem a Sereniss. Polonorum Rege non desiderabat, quem sciret, & animo & re ipsa esse gratissimum: tamen commemoratione de Regia erga se benevolentia, & pari atque maiori etiam gratificandi studio non potest non Excelsitati eius esse iucunda. Quamobrem & id, quod ad conficiendum pecuniarum negotium erat reliquum, ita expediri iussit, vt in optima

spe sit, S. eius R. hac in parte satisfactum esse. Porro de petitione ad controuersiam Brunsuicensem pertinente, Illustriss. Sax. Dux ita sensit, ut iudicet, Seren. Polon. Regem nihil alieni, ab optimi meriti & prudentissimi Principis officio facere, quod de negotio laudatissimæ suæ coniugis ita est sollicitus, ut leuioribus omnia prius remediis, quam ordinario iure experiri malit. Ac siquidem Illustrissimus Brandenburgensium Dux Elector arbitrium delatum pari animo in se recipiet: non grauabitur Illustriss. Sax Dux Elector, unis, eisdemque cum Brandenburgico coniunctim litteris, Ducem Brunsuicensem amanter monere, & cohortari diligenter, ut rem æquis conditionibus transigi patiatur. Atque id si obtineri potest, in tota deinceps actione nihil prætermittet eorum, quæ ad negotium hoc componendum conducere videbuntur: tum vt appareat, Illustriss. Excelſitati eius id esse perpetuum studium, vt omnes cauſæ, quæ inter principes viros simultates alere possunt, præcidantur, & animi inter se amicitia sincera & stabili conglutinentur: tum vero vt intellegi possit, quicquid oneris ad voluntatem S. eius

S. eius R. in se recipit, id Excelositati eius neque graue, neque laboriosum esse futurum, ut quæ S. eius R. & studio & animo sit perpetuo addictissima. Signatum Dresdæ III. Id. Iun. Anno LXXXI.

XL STEPHANO REGI.

Ser. Augustus Clementem Artum, qui sub vexillo Regis Pol. militare volebat, hic egregie commendat.

QUOD multi s̄æpe rerum inopia & extrema necessitate adacti, aut inconsiderata leuitate & iuuenilis animi ardore permoti, temere faciunt, vt in castra militaturi se conferant; id cliens hic noster Clemens Artus, Belcigius, certo iudicio, & iniurias Liuoniæ a crudelissimo hoste acceptas vindicandi laudabili studio serio suscipit. Qui etsi Illustri Principi, Domino Gothardo, Liuoniæ, Curlandiæ & Semigallia Duci, ob virtutum & rei militaris scientiam charissimus, & præfecturæ Salburgensis administrationi præpositus esset, & magni patroni benignissimis promissis inuitaretur: tamen ut cupiditati suæ aduersus prædones Moscouiticos pugnandi honestissime satisfacere posset, commodis & fortunis suis re-

G 5 lictis,

licitis, ad R. V. S. proficisci maluit, quam
in Liuonia rebus & otio abundare inglo-
rius. Hunc igitur talem virum etsi S. R.
V. aduentus ipsius satis commendet; ta-
men sine litteris nostris dimittere nolui-
mus: tum ut testatum faceremus, valde
cupere nos, exercitum S. R. V. pro com-
modo & salute rei Christianæ comparatum
fortissimorum militum copiis muniri &
augeri: tum vero, ut ostenderemus, valde
probari nobis clientis huius nostri præcla-
ros conatus & studia, quem cognoscimus
iam antea in bellis Liuonicis cordate &
fortiter versatum, & huius temporis at-
que loci opportunitate omnia laudis &
gloriæ caussa facturum esse, quæ a fortissi-
mo & communis salutis amantissimo ho-
mene postulari possunt. Sic itaque S.R.V.
Clementem hunc in castra sua recipiet:
sic albo fortissimorum suorum militum
adscribet: ut qui non spem prædæ & ra-
pinarum, (quod non pauci alii faciunt)
sed reipubl. commoda sequatur, ac de
Christianitate mereri optime desideret, &
propter studium vindictæ aduersus hostem
Moscouiticum in labore & periculis ita-
permansurus sit, ut reipsa comprobet, &
ani-

animum se cum vera belli huius caussa coniunctum habere, & fauere in primis dignitati atque gloriae S.R.V. Cui nos perpetuam valetudinis integritatem, & rerum suscepatarum prosperrimos successus precamur & optamus ex animo. Data ex arce nostra Augusto Pyrgensi XII. Cal. Sept. LXXXI.

XLI DOMINO STEPHANO REGI POLONIAE.

Quidam bibliopole Cracovienses nomine apud Ge. Rhodium fecerant. Ille autem, hactenus frustra de solutione laborauerat, qua, ne vterius differretur, Ser. Augustus ipse rem quam optime Regi commendat.

CVm publice intersit, rerum contratarum fidem sancte coli & obseruari; quo veluti vinculo continentur negotiationes, facultates & copiae diuersarum prouinciarum: non minus equidem coercendi sunt ii, qui hanc fallunt, & creditores suos defraudant, quam illi, qui itinera infesta reddunt, vt importari aliunde merces vita hominum necessariae & vtiles tuto nequeant. Vtrique enim commerciorum vsu labefacto & impedito

rem-

rempubl. perfidia & improbitate sua pariter incommodant. Quæ cum ita sint: nos Georgio Rhodio ciui & ædili in oppido nostro Lipsiensi petenti a nobis litteras commendatitias ad S. R. V. deesse nolui-
mus, quod ille non tantum de iure suo priuatim, sed de re laborare nobis vide-
retur eiusmodi, quæ cum caussa publica
coniuncta & implicata esset. Debent huic pecuniam Nicolaus & Stanislaus Scharffen-
bergii, bibliopolæ Cracovienses, & Paulus Fabricius Varsouiensis: quam, et si iam diu soluere promiserunt; tamen huc usque toties admoniti in mora sunt, & tergiuer-
sando creditorem cum maxima eius iactu-
ra totos annos sedecim ludificantur. Id quod S. R. V. ex epistola Georgii Rhodii,
quam his litteris nostris coniunximus, co-
gnoscere pluribus poterit. Horum itaque debitorum, qui ita sunt comparati, ut merces venditori eripuisse potius, quam nomina fecisse videantur, iniquitatem S. R. V. sic compescet, & auctoritate atque præcepto suo perficiet, ut procuratores Georgii Rhodii ad pecuniam debitam, & ad id, quod legitime interest, quam expeditissime perueniant. Faciet profes-
to,

cto, quod iustitia sua dignum est: & reipubl. ita consulet, vt tam rerum earum exportatio, quibus Polonia abundat, quam earum, quibus eget, inuestio cessatura nunquam sit: quandoquidem hoc argumento non tantum ciues, sed exteri quoque negotiatores perspecturi sunt, omnes se eadem S. R. V. æquitate contineri & protegi. Bene valeat S. R. V. &, cum ciuibus nostris, qui iustitiam eius sequuntur benigne fecerit, sciat, se nobis quoque gratissimum fecisse. Data ex arce nostra Dres. Non. Sept. Ao. LXXXI.

XLI DOMINO STEPHANO REGI POLONIAE.

Ha litteræ tractant controvërsiam inter Frid. Raceborum & Lescbnitium, que dirimenda Stephano traditur.

Quod ad S. R. V. pro Friderico Raceboro Capitaneo Beutense scribimus, id facimus, cum æquitate petitionis suæ adducti; tum vero quod Raceborus sibi persuaserit, id aurum, quod Dominus Raphael Leschnitius Capitaneus Radciosensis debet, non alias, quam commendatione nostra expeditissime acceptum

rum se esse. Habuit Dominus Raphael Leschnitius fratrem VVenceslaum, qui Lissæ, Poloniaæ a quodam Corbero quingen-
tos aureos Vngaricos mutuo accepit: fi-
deiuissores dedit Melchiorem Raceborum,
Friderici patrem, & Georgium Scopium,
Liguensem. Hi fideiuissores, cum dein-
de pro debitore satisfacere creditori coa-
cti fuerint, non abs re equidem Frideri-
cus patris sui mortui loco, quod is pro
VVenceslao Leschnitio soluisset, a debito-
ris fratre & hærede reposcere videtur,
quod hic & bona fraterna possideat, & in
vniuersum germani ius successerit. Quan-
do igitur S. R. V. pro singulari prudentia
sua facile hinc iudicatura est, solutionem
debiti non temere aut inique postulari:
nihil equidem petitori, pro quo ipsa æqui-
tas loquitur, opus fuisse putamus litteris
nostris ad S. R. V., quam summa cum lau-
de ius reddere omnibus notissimum est:
nisi Fridericus Raceborus existimasset, ad
celeritatem consequendi debitum, non-
nihil interesse sua, caussam hanc S. R. V.
per nos commendari. Quamobrem a S.
R. V. maiorem in modum officiose peti-
mus, vt Fridericum Raceborum hunc be-

neuo

EP. AD REG. POLON. III

neuolentia sua complectatur, & decreto
Regio perficiat, vt is ad debitam sibi pe-
cuniam absque mora aliqua iniusta perue-
niat. Commodabit profecto S. R. V. ho-
mini gratissimo, & nos magna volu-
ptate adficiet: vbi Raceborus iste intelle-
xerit, tantum nos, quantum ipse sibi per-
suadet, amari a S. R. V. quam felicissimo
rerum successu, cum pari valetudinis in-
tegritate perpetuo frui cupimus. Data ex
arce nostra Lichtenbergiana XIX. Cal. Ian.
Ao. LXXXII.

XLIII AD REGEM POLONIAE.

(1.) Legatus Polon. Regem de Augusti be-
nevolentia certiorem reddere debet: (2.) gau-
det de bello bene administrato, & gratula-
tur victoriam ac pacem: (3.) pecuniam, de
qua antea multa, repetit.

AD mandata Seren. & Potentiss. Polon.
Regis, Domini clementissimi, per
S. eius R. secretarium & legatum
dignissimum, magnificum Dominum Al-
bertum Ciszvivizi exposita, idem Domi-
nus legatus Serenit. eius R. Illustrissimi
Sax. Ducis Electoris, Domini nostri cle-
mentissimi verbis, significabit: Illustriss.
Excel.

Excelſitati eius ſalutationem & declaratio-
nem singularis benevolentia a tanto Rege
profectam, fuifſe iucundiffimam: eoque
nomine Illustriss. eius Excelſitatem S. R.
gratias amanter & officioſe agere: eidem-
que operam, obſeruantiam & ſtudia ſua,
in omni officiorum, ad decus & honorem
Regium pertinentium genere, polliceri
prolixe: & præterea a Deo opt. max. vi-
tam longæuam cum valetudinis integrita-
te coniunctam, rerum ſucceffus feliciffi-
mos, & reliqua precari omnia, quæ ad S.
eius R. incrementa, & ſalutem tam animi,
quam corporis conducunt, & neceſſaria
ſunt. Deinde ex commemoratis rebus ad
Pleſcouiam gestis, & bellii administrati rationibus Illustriss. Sax. Ducem Electorem
magnanimi Regis & Ducis virtutem &
fortitudinem cum pari prudentia & rei
militaris uſu atque peritia coniunctam,
nec non vim atque celeritatem militum
fortiſſimorum magna cum voluptate liquide
perspexiſſe. Cumque Illustr. eius Ex-
celſitas recenti adhuc memoria teneat,
quando ſententiam eius de bello aduersus
Moscos persequendo Serenitas R. per le-
gatum ſuum anno ſuperiori exquireret;
ita

ita se Regiae consultationi respondisse, ut iam tum animo præfigiente viderit, Sere-niss. Polon. Regem bellum id, quod iu-stissimis de caussis pro salute publica con-tra immanissimos hostes magno animo suscepisset, Deo opt. max. conatus Regios fortunante, felicissime confecturum esse: fieri certe aliter non posse, quin Illustriss. Excelsitas eius maximopere lætetur & gau-deat, prædictionem hanc & vota sua pa-rem fortunam, & exoptatum rerum exi-tum consecuta fuisse. Quamobrem se in-signem gloriam ex perdomiti & debellati hostis illustri victoria partam S. R. ex ani-mo gratulari, & vnice optare, vt pax a trepido & prostrato hoste petita, & a Rege victore tandem concessa salutaris rei-publ. sit, ac deinceps ab hoste extra fines remoto, firma, inviolata fide permaneat. Et quia Illustriss. Excelsitas eius æquissi-mum esse censeat, vt stipendia reliqua militi bene merito persoluantur, idque Ser. Polon. Regem pro insigni iustitia sua ita facere constituisse animaduertat: equi-dem hac quoque in parte Illustriss. Excel-sitatem eius rationibus Regiis commodan-di cupidam esse: ita tamen, vt pecunia-

H

Illu-

Illustriss. Excelositati eius debita ad diem
diui Martini proximum, vna cum integris
totius temporis pensionibus iuxta pacta
conuenta, in ærarium Excelositatis eius
reponatur, nec satisfactio differatur diu-
tius. Quanquam enim Illustriss. Excelso-
tas eius etiam amplius prorogando S. R.
gratificaretur: tamen per creditores, a
quibus summa ista mutuo accepta fuit,
solutionem absque detrimento & incom-
modo Excelsit. sūx in diem vltiorem re-
iici minime posse. Atque hæc Illust. Sax.
Dux Elector ad S. R. ea, qua par est, re-
uerentia per magnificum Dominum lega-
tum perferri cupit, quem, vt omnes Re-
gios ministros, fauore præcipuo & bene-
uolentia sua complectitur singulari. Si-
gnat. Dresdæ Cal. April. Ao. LXXXII.

XLIV. DOMINO STEPHANO REGI POLONIAE.

*Dicit hic Augustus, Regem mentem suam
ex legato plenius perspecturum esse.*

Redit ad S. V. R. peracta apud nos le-
gatione sua, generosus vir, Domi-
nus Albertus Cisruick, S. R. V. secre-
tarius dignissimus, cui nos ad ea S. R. V.
perfe-

perferenda commisimus, quæ eandem hoc tempore rescire vellemus. De huius itaque sermonibus S. R. V. intelligere poterit, quantum ex gloria S. R. V. victoria & latis rerum successibus voluptatem cuperimus, & quanti illa a nobis fiat: quod non modo ex ipso Domino Alberto cognoscere ut dignetur, sed & voluntatem nostram in negotio, de quo nobiscum egit beneuole ut complectatur, officiose S. V. R. rogamus, & eandem protectioni diuinæ ex animo commendamus. Data, Dresdæ. Cal. April. Ao. LXXXII.

XLV STEPHANO.

Georgio Prauso in bello Liuonico erepta prædia erant: quæ nunc finito bello ipsi ut restituerentur a Rege, litteris Aug. intercedit.

Recte præcipiunt sapientes, bella eam ob caussam suscipienda, ut & pax quæsita esse videatur, & in pace sine iniuria viuatur. Vtrumque S. R. V. in debellato Mosco securam esse, neque parta iam victoria, illud ab hoste illatum in spoliatis ciuibus hærere diutius velle, de iustitia & æquitate S. R. V. nobis est persuasissimum. Quamobrem cum liben-

ter pro omnibus , qui per Moscouiticam
crudelitatem possessiunculis suis aliquan-
do in Liuonia deiecti fuerunt; tum vero
pro cliente nostro Georgio Präuso ad S.
R. V. libentissime scribimus. Gessit per
multos annos apud Reuerendiss. & Illustr.
quondam Principem, Dominum VVilhel-
mum Archipræsidem Rigensem & Mar-
chionem Brandenburgicum aulæ præfe-
cturam: & ita administrauit, vt optimi
patroni erga se liberalitatem prouocaret,
& ab eodem fundo Meislauiano augere-
tur. A cuius fundi possessione, cum per
summam hostis truculentissimi tyranni-
dem deturbatus fuerit, omnem equidem
recuperandi fortunas ereptas spem in bo-
nitate & iustitia S. R. V. repositam habet.
Huius itaque clientis nostri , ad clemen-
tiam & æquitatem Regiam suppliciter con-
fugientis, precibus iustissimis, si R. S. V.
annuerit: profecto eam victoriam, quam,
domito & abiecto hoste, præclaram con-
secuta est, benignitate & iustitia sua mul-
to illustriorem faciet : & prouinciam vi-
ris exhaustam, ac populationibus hosti-
libus vastatam, præstantissimo habitatore
ornabit: & nobis, qui clienti huic nostro
beni-

benignissime cupimus, gratissimum faciet; atque hac nostra commendatione non tam ipsi Præuso, quam S. V. R. laudi fauemus. Erit certe bonitatis & prudenter Regiæ, hanc gloriæ facultatem, quam eidem Deus hoc tempore maximam dedit, complecti, & victoria diuinitus oblata, ad subleuandum spoliatos ciues ita vti, vt antiqui & iusti possessores in loca, vnde vi iniusta depulsi fuerunt, restituantur, & in his cliens quoque noster Georgius Præsus Meuseleuianum suum recipiat. Id si fiet, non tantum nobis referendæ gratiæ necessitas offeretur; sed ipse etiam Præsus S. R. V. fauore & benevolentia dignissimus beneficio hoc ita eidem obstringetur, vt, quod antehac vigiliarum atque laborum suorum præmium ab optimo patrono acceperat; id deinceps a S. R. V. veluti auctore receptum agnoscat: atque ob id non minus S. R. V. quam patrono pie defuncto debere atque obligari se intelligat: & omnia fidelissimi clientis obsequia perpetuo præstet. Bene valeat S. R. V. Dabantur Dresdæ. II. Non. Mai. Anno LXXXII.

XLVI EIDEM AVGUSTVS

*Et he litteræ commendant Regi Polonia-
rum controuersiam quandam ciuium Sax. &
Polon. qua in exoluenda pecunia, aliisque
buius generis rebus conslit.*

EX litteris nostris, quas pro Henrici Staupitii hæredibus accurate antea scripsimus, arbitramur, S.R.V. satis perspexisse, eorum nos caussa cum cupe-re, tum vero etiam debere omnia. Etsi autem & iustitiæ & constantiæ S.R.V. per-petuo meminimus, nec ullum nobis est dubium, quin commendatio nostra pri-ma satis adhuc apud S.V.R. valeat: tamen cum hoc tempore Staupitii hæredes cre-ditoresue nobis significassent, in exigen-da pecunia sibi a Domino Alberto Lasky Palatino Siradiensi debita, mandatarium ipsorum Ioannem Pulmannum antehac ita versatum fuisse, vt suum potius, quam eorum, qui commisissent, negotium pro-curaret; & ideo sua maximopere interesse putarent, vt ad S. V. denuo scriberemus: omnino voluntati ipsorum, libello sup-plico his litteris nostris insinuato compre-hensæ, morem gerendum esse existimauimus:

mus: vel quia iustissima de caussa manda-
tum Pulmanno ante datum reuocare iam
videbantur; vel quia æquissimum erat, vt
Dominus Lascius pecuniam, quam debe-
ri fatetur, solutam esse liquido doceat,
aut si id facere non possit, fidem littera-
rum suarum liberet, & clientibus nostris
tandem ex bono & æquo satisfaciat. Quam-
obrem a S. R. V. idem illud iterum atque
iterum amanter petimus, vt imperio &
auctoritate sua Regia, quæ apud Domi-
num Lascium & Pulmannum merito plu-
rimum valere debet, perficiat & expediatur:
hic quidem, vt litterarum obligationes
& instrumenta, quæcunque eius fidei an-
tehac fuerunt concredita, clientum no-
strorum procuratori, qui has litteras no-
stras redditurus est, absque vlla tergiuer-
satione restituat; ille vero, vt debitam pe-
cuniam solutam esse, absque longiori mo-
ra, aut probet, aut numeret. Atque
hæc rerum summa est, in quo & nobis S.
R. V. gratissimum facere, & pariter decla-
rare possit, se tam iustitia erga clientes
nostros, quam humanitate atque beneuo-
lentia in nos sua vsam esse. Bene valeat
S. R. V. & nos ut instituit, perpetuo amet.

H 4

Datae

Datae in arce nostra Lichtenbergiana VII.
Id. Octob. Anno LXXXII.

XLVII IDEM EIDEM.

Ser. Augustus intercedit pro Henrici Staupitiis, heredibus ut propter operas regno Polon. fideliter nauatas, arcem Schmiltenam ab Rege obtineant.

EA est æris magnitudo alieni, quod Henricus Staupitius, dum studia & obsequia sua magnis regibus probare cuperet, contraxit, ut tam hæredes quam creditores eius, nisi maximo detrimento adfici velint, coniunctis viribus omnia, quæ defunctus in bonis reliquit, persequi cogantur. Quare & arcem Schmiltenam in Liuonia sitam, qua Staupitius aliquando ob operas domi militæque Regno Polono fideliter nauatas donatus fuit, ab auctoritate & clementia S. R. V. iis rationibus, quæ libello supplico his litteris nostris adiuncto, expnuntur, se recepturos esse, plane confidunt. Ea spes ne clientes nostros fallat, a S. R. V. omni contentione petimus. Conducet profecto S. R. V. laudi, cuius nos fautores sumus plurimum, si Stupitianis hære-

hæredibus, & creditoribus, viris optimis & gratissimis S. R. V. de arce Schmiltenza ita commodauerit, vt ad eam absque magno labore & sumptu perueniant, & singulari nos voluptate adficiemur, vbi cognouerimus, clientibus nostris ad confiendum recte negotium commendationem hanc nostram maximo adiumento fuisse. Qui cum sibi persuadeant, nullius hominis apud S. V. R. auctoritatem & gratiam plus valere, quam nostram: id quoque, vt re ipsa ita esse experiantur; maiorem in modum iterum & sèpius rogamus a S. R. V. cui valetudinis integritatem, & rerum omnium successus optamus felicissimos. Data in arce nostra Lichtenbergiana VII. Id. Octob. Anno LXXXII.

**XLVIII REGI POLONIAE DOMINO
STEPHANO.**

Profitetur Ser. Augustus, pecuniam Polonorum Regi mutuo datam sibi nunc redditam esse.

ET si nos pro pecunia credita gratiarum actionem a S. V. R. non expectabamus, quod & debito amicitiae nostræ mutuæ officio hac in parte perfun-

H 5 eties-

cti esse videremur; & S. R. V. tam animo,
 quam re ipsa gratissimam esse sciremus:
 tamen S. R. V. verbis legatus eiusdem di-
 gnissimus, generosus vir Dominus Alber-
 tus Zisvicki gratias nobis diligentissime
 egit, & pecuniam debitam probe repræ-
 sentauit. Ut autem pro S. R. V. erga nos
 perspectissima fide, & integritate, & con-
 stantia dubium de solutione nobis nullum
 vnquam fuit: ita egregium erga S. V. R.
 animum, quem nobis Dominus Albertus
 ostendit, amanter amplectimur, &, vt
 hunc erga nos perpetuo habeat, omnibus,
 quibus maxime possumus, rebus studebi-
 mus. Reliqua ex Domino Alberto, cui
 & litterarum cautiones, & gemmas apud
 nos depositas restitui iussimus, cognosce-
 re poterit S. R. V. cui valetudinis integri-
 tatem, & omnium rerum felicissimos suc-
 cessus precamur ex animo. Dresdæ XVIII.
 Cal. Decemb. Ao. LXXXII.

XLIX. STEPHANO.

*Fabianus, eiusque fratres, ex nobili &
 peruetusta Baronum Donensium familia ori-
 undi exuti facultatibus erant. Has igitur,
 ut restituat ipsis Rex Pol. Augustus multis
 argumentis rogat.*

Erga

Erga Baronum Donensium familiam
mirifice semper affecti sumus: quod
cognouissemus, ex vetusta hac & no-
bili domo multos fortis & rebus Mau-
tiis gerendis eximios viros fuisse progres-
sos. Quorum in numero, cum Domi-
num Fabianum, & eius fratres esse iudi-
cemus, perinuiti equidem accepimus,
autem ipsorum virtuti fortunam adeo esse
iniquam: atque, ut non tantum in impres-
sione hostili cæteris suis bonis & possessio-
nibus Liuonicis deiecti, sed maleuolorum
etiam nonnullorum culpa & obtrectatio-
ne prædio Rotenbeisio exuti fuerint. Etsi
autem indignus iste virorum fortissimo-
rum casus non parum nobis molestiæ at-
tulit: tamen non mediocriter recreati fui-
mus, tam cogitatione sapientiæ & æquita-
tis illius singularis, quæ S. R. V. omnium
tam summorum quam infimorum homi-
num amorem, studia, admirationem &
obseruantiam passim conciliat; quam
quod certis actionibus cognoverimus,
Dominum Fabianum bello Moscouitico
S. R. V. non poenitendam, suo loco & or-
dine nauasse operam. Quibus de caus-
sis in hanc opinionem discessimus, ut pla-
ne sta-

ne statuamus, S. V. R. pro singulari bonitate & iustitia sua minime passuram esse, ut fratres Donenses, non male de republica meriti, in tantis incommodis & difficultatibus hæreant diutius. Et quod Dominus Fabiano fortasse hac in parte alii obfuturum existimant, id nos S. V. vel in primis commendaturum esse existimamus hominem acrem & industrium, qui bello Moscouitico feliciter confecto, e patria eo se contulerit, vnde ad S. R. V. aliquando rei militaris scientia & vsu instructior & auctior redire, & pro acceptis beneficiis talem se præstare possit, qualem & nos fore ipsum confidimus, & S. V. R. omnino esse cupit. Quæ cum ita sint, non ideo scribimus hæc, quod ad optimum patronum clientibus fidelissimis commendatione nostra opus esse quicquam putemus: sed vt benevolentiae nostræ, qua Dominum Fabianum & fratres eius benignissime amplectimur, aliquid apud S. V. R. iudicium & testimonium extet. Quam, si fratres Donenses ad fortunas suas restituet, non tantum solita erga omnes sua æquitate & iustitia usam esse, sed nobis etiam id tributum fuisse, libenter profitebimur:

bimur: quod summopere optamus & cupimus, &, vt omnino faciat, S. R. V. aman-
tissime etiam atque etiam rogamus. Cui
tum a nobis grati animi memoriam per-
petuam; tum a fratribus Donensibus sub-
iectissimæ voluntatis studia & obsequia
omnia repromittimus, ex animo optan-
tes, vt S. V. R. perpetuo recte valeat.
Dresdæ Id. April. Ao. LXXXIII.

L. AVGVSTVS STEPHANO.

*Io. Misnacomus ob neglectum vectigalium
imputatum perdiderat res pretiosas, per-
diderat omnes facultates. Verum hic Ele-
ctor probat, cimelia vectigalibus non esse sub-
iecta: & proinde restitutionem efflagitat.*

Ioannes Misnacomus, pro quo hoc tem-
pore ad S. V. R. scribimus, non tam
propter adfines suos, honestos homi-
nes, & ciues nostros, quam propter ne-
gotiationem, quam mercibus pretiosis e-
ditionibus nostris in Poloniam, & inde
ad nos apportandis exercet, nobis est
commendatissimus. Is posteaquam no-
bis significasset, sibi ab Andræa Stradom-
sio, qui publico vectigali apud Cracovi-
enses ministrat, equos quinque & argen-
tum

tum præterea factum, margaritas, gemmas & cimelia, quæ mille septingentis argenteis Ioachimicis æstimarentur, immerenti adempta fuisse, quod e Polonia in Silesiam proficiens, neque limitem adhuc prætergressus esset: neque ullum vectigal exigi solitum sit ab illis, qui cimelia & vasa argentea transferrent: suppliciter a nobis litteras ad S. V. R. petiit, ut omnibus suis fortunis semel exuto hæc reddi patiatur. Quæ cum ita esse nobis Misnacomus confirmaret, & in omnibus vectigalibus consuetudo spectetur, cimeliis immunitatem merito tribuens, quod illa Regum, Principum & procerum usus caussa comparentur, atque ideo præstationi vectigalium ea subiici indignum sit: superuacaneum esse iudicauimus, hac de re pluribus ad iustissimum Regem scribere, ne de S. V. illustri æquitate dubitare potius, quam hominis patrocinium nostrum implorantis causæ consulere velle videamur. Neque enim unquam S. R. V. probatura est, ut fisco suo illa bona commissi nomine vendicentur, quæ a vectigalium præstatione immunia-
funt. A Serenitate V. R. itaque etiam
atque

atque etiam petimus , vt interposita au-
toritate sua mandet, restitu Misnacomo,
quæ ei adempta fuerunt. Erit id dignum
prudentia & æquitate Regia , & nobis non
minus gratum, quam publico etiam utile
& fructuosum , vbi mercatores, qui vltro
citroque commcare , & merces suas com-
mutare solent, intellexerint, non tantum
innocentibus , sed iis quoque ignosci,
qui non per fraudem , sed per ignoran-
tiam & errorem in caussam commissi in-
cidunt. Valeat S. V. R. cui & hunc, qui
recens coepit, & mille alios sequentes
annos felicissime euenire cupimus. Dres-
dæ V. Cal. Iun. Anno LXXXIII.

LI. SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI DOMINO SIGISMVN- DO III.

*Sereniss. Frid. VVilhelmus prohibuerat le-
ctionem Mollerij Henningis scriptorum: id-
que Regi Polonia hic adfirmat.*

Serenissime & Potentissime Rex, Sere-
nitati V. salutem dicimus, & operam
in omni officiorum genere paratis-
mam offerimus. Domine cognate amice
plurimum obseruande. Recentि adhuc te-
nemus

nemus memoria, quam grauissima S. V. non tam per litteras, quam per legatum ante biennium de chronicis Laurentii Mollerij, & Salomonis Henningi in publicum emisis & sparsis conquesta sit. Cuius etiam contemplatione, in primis autem, cum intellexerimus, non tam S. V. quam toti etiam Regno foedas iniuriarum maculas adspersas fuisse: ad requisitionem S. V. Rectori & toti senatui nostrae Academiae Salanae in mandatis deditus, non tantum in scripta ista, tum publice tum priuatim, quam diligentissime inquirendi, sed & studiosae iuuentutis animos eo dirigendi, quo ab istorum librorum lectio ne abstinere, & si quæ habeant exemplaria, ad manus nostras deferri queant: id quod & ita a senatu Academico per publicam intimationem, ut moris est, fuit significatum. Cum ergo hac in parte solummodo S. V. petitioni & intercessioni satisfecerimus, nihilque prius aut antiquius habuerimus, quam ut S. V. fama & defunctorum existimatio & honor considerarentur: videre non possumus, qua ratione, quaque auctoritate, ea, quæ nostro mando publice sunt adfixa & promulgata, possint

sint reuocari. Officiose itaque petimus, vt S.V. nos hac in parte excusatos habere velit: non enim dubitamus, quin S. V. per alia media, non tam ipsum opus, quam autoris nomen ab istis delatoribus vindicare possit. Si alia in re quid facere possumus, quod S. V. gratum erit, haud in nobis officium ullum desiderari vñquam patiemur. Bene valeat S. V. Dabantur Torg. Cal. Febr. XC.

Fr. VVilhelm.

LII. AD REGEM POLONIAE SIGISMUNDVM III.

Gratulatur Aug. Regi Polon. matrimonium cum Anna Austriaca incundum, & se excusat, quod nuptiis interesse non possit.

Gratissimæ nobis fuerunt, Rex Sereniss. cognate plurimum obseruande, quæ per generosum Dominum Ioannem Schardituki redditæ nobis sunt litteræ. Longe vero gratius ipsum, quod per eundem nobis prolixè expositum est, negotium. Sicut enim per antiqua est, quæ inter utramque Illustrem Saxoniam & Iagellon. domum intercedit necessitudo; ita eandem felici matrimonio V. S. & Sereniss.

nissimæ Principis Annæ Austriacæ &c. cognatæ nostræ charissimæ, renouari, ex animo lætamur. Quamobrem V. S. de felicissimo coniugii auspicio, toto pectore gratulamur, Deumque precamur, ut has nuptias V. S. regno Poloniæ, & toti demum reipublicæ Christianæ secundas esse velit. Cæterum quod V. S. & nobis, quis nuptiis dictus sit dies, significare, & nos ad earundem festiuitatem inuitare voluerit: agnoscimus equidem V. S. singulariem erga nos benevolentiam, iuxta ac humanitatem. Etsi autem nihil nobis erat prius, nihil antiquius, quam V. S. petioni & expectationi satisfacere: is tamen est huius prouinciæ status, ea conditio, ut non modo grauissimis negotiis occupati simus, sed & absque præsentissimo periculo nobis diutius abesse non liccat. Amanter igitur oramus, ne ægre hoc ferat V. S. neque de nostra propensa voluntate dubitet. Quod restat, V. S. omnianostra studia & officia libenter offerimus, daturi operam, vt V. S. intelligat, nihil obstat, quo minus V. S. optima quæque sibi de nobis polliceri debeat, ac tuto etiam possit. V. S. optime valere exortamus.

EP. AD REG. POLON.

131

ptamus. Torgæ III. Non. Martii Anno
M D XC.

Fridericus VVilhelmus Dux. Sax.

LIII. AD SIGISMUNDVM III REGEM
POLONIAE.

*Gratias agit Fridericus VVilbelmus pro
inuitatione ad nuptias sororis Sigismundi An-
ne, Infantis Sueciæ, cum Io. Georg. March.
Brandenb. celebrandas.*

Litteras S. V. Serenissime Rex, IX.
Nouemb. recens elapsi VVarsó-
uiæ datas, quibus a nobis postu-
lat S. V. aulicum generosum Paulum
Aretzitzeuoki a S. V. ideo missum, vt ad
nuptias Sereniss. Dominæ, S. V. sororis,
Sueciæ Infantis, cum Illustrissimo Domi-
no cognato, & amico nostro, Domino Io.
Georg. March. Brandenb. Administratore
Episcopatus Argentinensis, Stockolmi ce-
lebrandas, S. V. nomine nos amanter in-
uitet, libenter audire, & vel per nos ipsos,
vel per legatos nostros festiuitati nuptiali
interesse, & ita amorem nostrum erga
S. V. testari velimus, prompto & beneuo-
lo accepimus animo. Quamuis autem
prædictus Dominus legatus S. V. coram

I 2

sua

sua nobis non exposuerit mandata: attamen eadem ex Brandenburgo sub dato VI. Novemb. inscriptis nobis exposuit, quæ vna cum iis, quæ a S. V. ad nos perscripta sunt, hoc demum die ad nos perlata sunt. Compertum ex his omnibus habemus singularem S. V. erga nos amorem & benevolentiam, & quod cognitionis S. V. & adfinitatis & necessitudinis vincula inter S. V. nostramque domum Saxoniam firma, & infracta, & plurimis modis corroborata esse cupiat. Quocirca de hac matrimoniali coniunctione inter S. V. regnumque Poloniæ & Sueciæ, Illusterrimamque dominum Brandenburgicam utriusque familiæ gratulamur. Præsentiam nostram quod attinet, quæ a nobis ipsis, aut per legatum nostrum a S. V. desideratur, cum ad omnia, quæ ad conseruationem amicitiæ, & coniunctionem animorum inter S. V. & nos pertinere possunt, pro virili nostro prompti simus, ad temporis circiter diem nuptiis destinatum parati, & ad ea, quæ S. V. & domui Brandenburgicæ potent tunt esse accepta, erimus propensi: vi- cissim non dubitantes, S. V. adfinitatis & amicitiæ iura erga Principes Germaniæ, vniuer-

vniuersamque Germaniam , patriam nostram, illibata conseruaturam. Eandem protectioni Diuinæ nos ex animo commendamus. Datum Torgæ III. Non. Decemb. Ao. M D XCIII.

Fridericus VVilhelmus.

LIV. AVGVSTVS

Serenissime Principi Dominae ANNAE ex iusta Regum Polonorum stirpe natae, Domina adfini nostra charissima.

Hac epistola agit de pecunia mutua, quam Senatus Lipsiensis soluere debebat.

Serenissimæ Principi, D. V. operam & studium nostrum cum significatione præcipue benevolentia & honoris, in omni officiorum genere deferimus. Posteaquam ad nos per D. V. administrum aulicum, generosum Bartholomæum Zanacki relatum est, de pecunia illa, quam Illustrissima quondam Princeps, Domina Sophia Brunsuicensium Ducissa, piæ memoriæ, soror D. V. amantissima; senatui ciuitatis nostræ Lipsiensis credidit: sanc pro in Jagellonicam familiam studio, & singulari erga D. V. obseruantia, nihil prius

habuimus, quam vt senatus Lipsiensi mandaremus, pecuniam hanc, cum dies solutionis venerit, vt loco tuto deponat, atque hoc Illustrissimo Principi, Domino Iulio Brunsuicensium Duci significet, & petat, vt litteras obligationis, quas penes se habet, eodem conferat. Sic fiet, vt sematus Lipsiensis ad diem constitutum in mora non sit, fidemque litterarum suarum liberet: & litterarum obligatio, quæ nisi restituatur, senatus petitionibus pecunia satisfacere non teneretur, salua sit: ac tandem re vtrinque disceptata & excussa, in eius, cui iure debetur, potestatem pecunia ex deposito veniat. Qua in re nobis persuasum est, D.V. iustitiam & æquitatem probaturam, & nostram erga se, quod ei, cui litteras has, ad petitionem D.V. pecuniam dari, permittimus, perspecturam esse benevolentiam. Quam, vt evidentius etiam declaremus, ad Illustrissimum Principem Dominum Iulium Brunsuensem Ducem litteras quoque dedimus: in quibus Dil. eius negotium, quod confectum cupit, D.V. commendamus studiose & amanter rogamus, vt ornatum muliebrem, gemmas, vestes, & pre-

preciosam suppellectilem adeoque reliqua
 omnia, quæ ad Dil. eius ex Illustrissimæ
 quondam Principis, Dominae Sophiæ pie
 defunctæ bonis peruererunt; quæque ad
 D. V. iure hæredis pertinent, eidem non
 grauatim concedat & tribuat, atque in
 hoc tam D. V. quam nobis gratificetur: ut
 intelligat amorem nostrum D. V. nosque sua
 benevolentia porro amplectatur, & a nobis
 contra expectet omnia, quæ ab amantissi-
 mo Iagellonici nominis Principe & amico
 optimo expectari par est. Ex arce nostra
 Anneburg. VIII. Id. Februarii Anno
 LXXVI.

LV ORDINIBVS REGNI POLONIAE.

*Augustus efficere apud Pol. Ord. laborat,
 vt stipendium annum Christophoro Duci
 Megap. legitime persoluatur.*

Reuerendissimis, Illustribus, Magnificis,
 Generosis ac Nobilibus, amicis nostris
 charissimis, nec non sincere nobis dile-
 ctis, Dominis Archiepiscopis, Episcopis,
 Principibus, Palatinis, Comitibus, Baro-
 nibus, Equitibus ac Nobilibus, Potentis-
 simi Regni Polonici Senatoribus ac Proce-
 ribus,

ribus, in præsenti omnium ordinum con-
uentu generali, vniuersis & sin-
gulis

SAlutem & studia in omni beneuolen-
tiæ genere paratissima, nec non beni-
gnitatem & gratiam nostram. Reue-
rend. Illustres & Magnifici Domini Sena-
tores, Generosi Proceres, Equites & No-
biles districtuum Polonicorum legati &c.
Significauit nobis Illustriss. Princeps co-
gnatus noster charissimus, Dominus Chri-
stophorus Dux Megapolensis, sibi ob sin-
gulare studium suum & voluntatem egre-
giam erga celeberrimum Poloniae regnum
iamdiu stipendium annum ex ærario publ.
persoluendum constitutum ac promissum
fuisse: ex quo aliquot adhuc pensiones
Dilectioni eius essent residuae: & rogauit,
vt apud Dil. V. & vos litteris missis inter-
cederemus, quo facilius id, quod restat,
consequi posset. Nos autem et si animad-
uertimus, Ducem Christophorum hæc ita
a nobis petere, vt præcipuam huius solu-
tionis obtainendæ spem in beneuolentia
& æquitate vestra poneret: tamen cum
commendationem etiam litterarum no-
strarum Dil. eius fructuosam fore existi-
maret,

maret, non voluimus equidem cognato
Principi in caussa tam iusta deesse. Quam-
obrem, cum nobis persuasum sit, Dil. V.
& vos pro insigni æquitate, iustitia & in-
tegritate sua sponte inclinare ad præstan-
dum id, quod stipendii Christophoro pro-
missi obligatio dictat: itaque amanter,
benigne, etiam atque etiam rogamus, vt
per Dil. & Illust. V. & vos ærarii publ.
præfectis mandetur, vt Duci Christopho-
ro de eo, quod reliquum est, satisfaciant.
Erit id Dil. & Illust. V. & vobis apud o-
mnes exteros perhonorificum, & nobis
valde gratum, si intellexerimus, com-
mendationem litterarum nostrarum co-
gnato nostro salutarem fuisse. Dresdæ
VI. Cal. Iul. Anno M. D. LXXVI.

LVI. DVCI SABAVDIAE EMAN. PHI- LIBERTO.

*Hæc epistola dolet mortem coniugis Sah.
Duc. simulque Principem solatur, & varia
amoris vestigia relinquit.*

IAm antea, Illustriss. Princeps, Do-
mine cognate charissime, cum de-
obitu præstantissimæ coniugis Dil.
V. rumores sparsi essent, soliciti valde
fui-

fuimus: & nunc vero, postquam ex litteris
Dil. V. haec certa esse cognouimus, casum
hunc pro eo, ac debuimus animo, sane æger-
rime tulumus. Heu quamuis cum illa qui-
dem præclare actum esse existimandum
sit; quæcum esset summo loco nata, Prin-
cipi potentissimo felicissime nupta, & ma-
ximæ spei filio aucta, atque omnium ho-
minum studia, obseruantiam, & amorem
præstanti virtute sua sibi conciliasset; ad-
eoque nil non eorum consecuta esset, quæ
inter mortales summa putantur: vitam
tandem in his terris placide clausit; eo
tempore, quo totus orbis Christianus im-
minentibus vndique periculis labascere,
& mundi iamdiu nutantis machina ruinam
minari videretur; sic, ut non tam diem
suum obire, quam ex irato turbulentissimi
huius seculi pelago in tutissimum abiisse
portum recte dici potest: tamen cum re-
putemus cum animo, quantum sui desi-
derium Dilect. V. eiusque filio suauissimo
reliquerit, cuiusmodi ornamentum incly-
ta Sabaudia Domus amiserit; & quo præ-
sidio tota huic subiecta prouincia orbata
fuerit; fieri equidem non potest, quin
pro mutua necessitudine nostra doleamus
vehe-

vehementer, & iudicemus, hoc incommodum, cum Dil. V. commune esse. Sed ut nostras curas inanibus querelis incendere & augere consultum non est: ita quod reliquum erat, fortissimi animi Principem consolari minime audemus. Viuit illa, & in sempiternum viuet in coelesti aula, omnibusque præsepta malis, felix & fine caritatum æuum auget: qua spe certa & fixa non est dubium, quin Dil. V. in hoc se luctu erigat, & sustentet; & nos idem etiam nobis faciendum esse iudicamus, ne cognatae charifimæ coelestia gaudia inuidere potius, quam nostram vicem dolere videamur. De oppidis Pinarolio, & Sauiliiano restitutis Dil. V. gratulamur, & illam adhuc recte valere libentissime cognouimus. Nos etiam Diuina benignitate cum coniuge nostra charissima, & dulcissimis liberis bene valeamus: & Dil. V. perpetuo optime valere, eique annum hunc vertentem felicissimum esse valde cupimus. Ex arce Annenburg. XIV. Calend. Ianuar. A N N O M. D. LXXV.

LVII. DVCI SABAVDIAE.

Intercedit hic Aug. pro Hallero, ut ipsi debita soluatur pecunia.

Illustrissime Princeps, Domine & cognate noster charissime. Christophorus Hallerus nobis significauit, quamuis Dilectio V. aliquoties annuisset, ut ipsi debitum præteriorum annorum salarym exolueretur, tamen quorundam conatibus hoc subinde hactenus interuersum esse: a nobis proinde submissæ petiit, ut cauſsam hanc Dilectioni V. commendaremus. Nos autem, et si quo modo res se habeat, ignoramus, & nequaquam dubitamus, quin Dil. V. etiam nullo intercedente ad preces administri sui, quod æquum est, ut fiat, mandatura sit serio: tamen cum Hallerus charissimo quondam fratri nostro Duci Mauritio pie defuncto operam fidelem nauarit, & nostri curam habeat: non equidem voluimus illi hac in parte deesse. Et ob id a Dil. V. amanter petimus, siquidem Hallero ex stipendio constituto aliquid reliqui debetur, ut Dil. V. quod alias sponte sua factura esset, etiam propter hanc intercessionem

litte-

litterarum nostrarum faciat, ac iustas eius
preces valere sinat, & ærarii suo præfecto
mandet, quo Hallero satisfaciat. Erit id
nobis gratum, & ipse Hallerus suis obse-
quiis & grati animi seruitiis demereri hoc
conabitur. Feliciter valeat Dil. V. Ex arce
An neb. prid. Non. Ian. Ao. M. D. LXXV.

LVIII. AVGVSTVS DVCI SABAVIDIAE.

*Ser. quondam Augustus commendat Duci
Sabaudia Stanschedelium, ut ipsi locus in Du-
cis aula pateat.*

Qui has nostras litteras, Princeps
Illustr. Domine agnate charissime,
Dilection. V. reddet, Georgius Stan-
schedelius, cliens noster ex honesta, &
nobili familia natus est. Patrem habuit
Theodoricum, bonum & fortem virum:
qui in vita sua Marschalli munere in aula
Sax. ita perfunctus est, ut omnes intelli-
gerent, neque ei fidem deesse, neque in-
dustriam: Huius filio Henrico, Georgii
fratri nos postea quopue aulæ nostræ præ-
fecturam commisimus, in qua ille quoad
vixit, fidelitatem suam & virtutem nobis
abunde probauit. Ita non vna tantum
causa est, cur huic adolescenti, & inge-
nuis

nuis natalibus , & egregia indole , & propinquorum meritis ornato , benigne cupiamus. Is igitur cum & multa videndi descendique laudabili cupiditate incensus sit ; & ad aulam præcipue Dilect. V. tanquam ad virtutum , & vrbanitatis , honestatisque gymnasium aliquod adspiret : sibi plane persuasit , nostris litteris se apud Dilect. V. in primis gratiosum fore. Quia ipsum spe minime falli vellemus , atque ob id a Dilect. V. vehementer etiam atque etiam petimus , ut adolescentem hunc fauore & liberalitate sua complectatur , atque ipsi cum duobus , vel ad minimum uno famulis locum inter eos aliquem determinet , qui in aula Dil. V. æquis stipendiis merent . Habebit Dil. V. administrum fidelem , solerter & adsiduum , qui que in Patronos obsequio , & studio erit singulari , ita ut Dil. V. ex eius virtute voluptatem summam sit capture . Nobis autem , qui vehementer cupimus , litteras has nostras apud Dil. V. Stanschedelio magno usui & adiumento esse , hoc dilect. V. beneficium in adolescentem hunc , propter commendationem nostram collatum , tam erit gratum , quam quod gratissimum .

Bene

Bene valeat Dilect. V. seque vnice a nobis
amari statuat. Torgauiae Idibus Feb. An-
no M. D. LXXV.

LIX. DVCI SABAVDIAE.

*Augustus testatur bac epistola, se caussam
Montferatensem studiosissime Cesari com-
mendasse. Optat deinde, ut Dux voti da-
mnetur.*

Illustrissime Princeps, Domine & ad-
gnate charissime. Et legatum Dil. V.
Claudium a Cooland coram audiui-
mus, & litteras ex Dil. V. sententia, quam
Dominus Claudius ostendit, ad Impera-
torem dedimus: quibus Cæsareæ eius Ma-
iestati caussam Montferatensem ita studio-
se commendauimus, vt facile animaduer-
ti inde possit, summam inter nos necessi-
tudinem ac coniunctionem intercedere,
& nobis hoc negotium in primis curæ es-
se, nosque adeo omnia Dil. V. caussa cu-
pere. Cumque ante hac polliciti semper
fuerimus, ne quid forte accideret, quo
spes illa de restitutione pulcherrimorum
oppidorum Pinarolii, & Sauliani hisce
coniunctæ vallis Perusia aut interuertere-
tur, aut protraheretur longius: libentis-
sime

sime sane tam ex Dil. V. litteris, quam ex sermonibus Domini Claudii intelleximus ac cognouimus, hoc pleno iure in potestatem Dil. V. pervenisse: ob id amanter gratulamur, ac restitutionem hanc felicissime euenire cupimus. Et ut nobis dubium nullum fuit, Dil. V. quæ ipsi accesserunt, nobiscum libenter communicatram esse: ita eidem persuasum esse volvamus, nihil in subiectis nobis ditionibus extare, quod non pari studio, & promptissime Dil. quoque V. gratificari velimus. Quod reliquum est, id Dominus Claudius nostris verbis exponet, & declarabit prolixius Dil. V. Quam Dei Opt. Max. protectioni commendamus, & rebus omnibus perpetuo rectissime habere cupimus. Dresdæ IV. Cal. Aprilis Anno LXXV.

LX. DVCI SABAVDIAE.

*Vt causa Montferatensis ad voluntatem
Ducis Sabaudiæ agatur, Aug. omne subsidiū promittit: sicut iam antea ministros
ad negotium conficiendum alegauerat.*

EX litteris Augustæ Taurinorum XII. Calend. Maii ad nos scriptis perspeximus, Dil. V. existimasse, oratores

res suos Augustæ nos Tiberiæ conuētu-
ros es-
se. Quod sane etiam futurum erat, nisi no-
bis varia & multa impedimenta obiecta fuis-
sent, quæ nos in prouincia nostra retinuo-
runt hactenus, & adhuc retinent. Quam-
uis autem comitiis imperii hoc tempore
nos ipsi interesse non possimus, tamen D.
V. omnino persuasum esse cupimus, ab-
sentibus etiam nobis existimationem, rem
& dignitatem suam, ita curæ futura esse,
ut nihil omnino simus prætermissuri, quod
in hoc genere per nos elaborari, & effici
potest. Itaque legatis nostris iam antea
Augustam Tiberiam præmissis, per litte-
ras diligenter & serio scriptas mandaui-
mus, vt ex sententia oratorum D. V. tam
ipsi Cæsari, quam reliquis Principibus
caussam hanc, quam nobis pro coniun-
ctione nostra mutua communem esse du-
cimus, diligentissime nostris commen-
dent verbis, ac omnibus in rebus ratio-
nem habeant, consulant, enitantur, &
præparent quodammodo omnia, quo &
D. V. & reliqui omnes sciant, & intelli-
gant, nos omnia cupere & velle Dil. V.
caussa: quam optime valere & prospero
rerum successu perpetuo gaudere & frui,

K

opta-

AVGVSTVS

LXI. Generosis sincere nobis dilectis Illu-
stris Sabaudiæ Ducis & adgnati nostri cha-
riss. ORATORIBVS hoc tempore ad con-
uentum Imperii Ratisbonensem
ablegatis.

*Augustus huius voluntatis, & legationis
certiores reddit legatos D. Sabaud. ut bi eo-
rum opera uti possit.*

Itteras Illust. Sabaudiæ Ducis, adgnati nostri charissimi per vos huc transmissas lubentissime legimus. Et cum hoc tempore grauissimis occupatio-
nibus impediamur, quo minus Augustam Tiberiam ipsi peruenire possimus: legatis nostris litteris missis præcepimus, ut negotium, quod Illust. Dilect. eius, nobis illic procurandum, & expediendum com-
misit, summo studio, nec fide & diligen-
tia minore, quam res ea nostra esset, de-
sententia & consilio nostro apud Impera-
torem & reliquos Principes agant, pro-
moueant, & vrgeant. Quamobrem ope-
ra illorum, quotiescumque expediet &
com-

commodum erit, utimini: & si nobis gratum facere velitis, domum re bene (quod optamus) confecta, reuersi, Illustr. Sabaudiae Ducis salutem & promptissimam in omni officiorum genere gratificandi voluntatem & studium singulare nostrum renunciabitis. Quem, ut in primis amplectimur & obseruamus, ita &c. Dresdæ V. Cal. Iul. LXXVI.

LXII. DVCI SABAVDIAE PHILBERTO.

Sabaud. Dux consulerat Augustum in caussa, quæ ad decus & dignitatem familie Sabaud. spectaret: Augusti vero consilium, hoc est, ut res omnis Imperatori tradatur. Qua de re promittit commendationem apud Casarem.

SAlutem & operam nostram Sereniss. Princeps, in omni officiorum genere, promptissimam Dil. V. adscribimus. Domine & agnate noster charissime. Tam ex litteris, quam ex mandatis, quæ a Dil. V. per legatum D. Francisc. Leonhardum Vaudanum nobis exposita sunt, libentissime cognouimus, Dil. V. ex consilio nostro, in caussa ad decus & splendorem

K 2

Illustr.

Illust. familiæ Sabaudiæ pertinente, bene-
volentiam nostram cum singulari tuendæ
dignitatis Sabaudiæ studio coniunctam
perspexisse. Ac meminimus, nos tunc
temporis censuisse, omnia, vti gesta &
acta essent, ad Sacram Cæsaream Maiesta-
tem cum debita obseruantia referenda,
& decreti iam antea facti eiusmodi decla-
rationem petendam esse, ex qua nemo
eorum, ad quos ea res pertinet, de sen-
tentia Imperatoria conqueri merito pos-
sit. Cumque in nos receperimus omnia,
quæ ad conseruandam, & propagandam
amicitiam inter Dil. V. & Ser. Florentiæ
Ducem saluo nihilominus vtriusque iure,
conducere videntur, & Dil. V. perpetuo
gratificandi studio addictissimi sumus: e-
quidem petitionem Dil. V. libenter admi-
simus. Quamobrem & legatis nostris,
quos paulo post in aulam Augustam aman-
daturi sumus, præcipiemus, vt de senten-
tia Dil. V. & oratoris eius Pragæ commo-
rantis iudicio, vna cum Serenissimorum
Regum Hispaniæ & Portugalliæ legatis,
negotium hoc diligenter, & ita promo-
ueant, atque si id nostrum esset. Et si
quid porro etiam facere possumus, quod
Dil.

Dil. V. gratum sit: haud equidem in nobis officium fidelissimi adgnati , & optimi Principis vllum desiderari patiemur vnu- quam. Beneualeat Dil. V. VVeidenhani XI. Cal. Octob. Anno LXXVIII.

LXIII. DVCI SABAVIDIAE.

*Augustus cauſſas adducit, cur legatum
Ducis Sab. audire non potuerit: lateturum
tamen ſe præſidium in rebus gratiſſimis pol-
licetur.*

CVM ex Francia orientali in ditiones noſtras rediremus, ſignificatum no- biſ fuit, clarissimum virum, Camil- lum Gallicum, ſenatorem Dilect. vestræ in ciuitatem noſtram Dresdenem perue- niſſe, cum litteris & mandatis, quæ ad nos Dilect. V. verbiſ perferret. Etsi au- tem nos libenter illum coram audiuiſſe- muſ; tamen, cum intelligeremus, a D. V. in aulam Augustam ablegatum, & itine- rum noſtrorum ratio non nihil perplexa eſſet: haud arbitrati ſumus, eum excuſu, quem iſtituerat, reuocare, & non tan- tum iſpi viarum moleſtias & hospitorum incommoditatē offerre: ſed negotia- etiam, quæ in aula Imperatoria illi ex- K 3 pedien-

pedienda erant , longius producere .
Quamobrem consiliariis nostris intimis ,
quos aliquot ante dies eo præmiseramus ,
ut mandata Dil. V. audirent , & per dispo-
sitos cursores ad nos transmittenrent ,
mandauimus . Cum vero Dil. V. legato
placuisse , vt litteræ , quas Dil. V. ad nos
scripserat , clausæ nobis redderentur , vna
cum epistola sua , quæ nobis summam ne-
gotii exponebat : sic factum est , vt omnia
ad nos per celeres nuntios perferrentur .
Et quia ex his singularem Dil. V. erga nos
benevolentiam perspeximus , de qua ta-
men antea quoque nobis dubium nullum
fuit ; fieri profecto aliter non potuit ,
quam vt nobis officium hoc beneuolen-
tiæ atque studii plenissimum longe gratis-
simum esset , & ad eum amorem , quo iam
ante Dil. V. semper complexi sumus , ma-
ximus cumulus accederet . Persuassissimum
igitur esse debet Dil. V. nos omnia ipsius
caussa cupere , nihilque imposterum quo-
que prætermissuros esse , quod vel ad con-
seruandam , & augendam amicitiam no-
stram mutuam ; vel ad tuendam dignita-
tem Dilect. V. pertinere , & a nobis pro-
ficiisci potest . Beneualeat Dilect. V. se-

nibsq

que

EP. AD DVC. SABAVD. 151

que a nobis redamari nihil dubitet. Datæ
Augustæ VII. Cal. Jul. Anno LXXIX.

LXIV. DVCI SABAVDIAE.

*Est continuatio controversie iam dictæ in
aula Imperat. dirimendæ. Deinde gratias
agit Augustus pro magnificis donis.*

ET si nos Dil. V. quod ex litteris eius
Augustæ Taurinorum pridie Non.
Aprilis humanissime ad nos scriptis
animaduerti potest, officio atque amore
satisfecimus: tamen nobis ipsis hactenus
non satisfecimus: propterea quod in caus-
fa, de qua in aula Imperatoria agitur, id,
quod Dil. V. cupere intelligimus, hacte-
nus effectum nondum sit. Vnde cum nu-
per de sermonibus domini legati, quem
Dil. V. Pragam amandauit, intelligere-
mus, quæ porro de negotio hoc conficien-
do Dil. V. mens atque sententia esset,
continuo illi oratorem nostrum ad-
iunximus, ut caussam hanc nostris verbis
apud Sac. Cæs. Maiest. eiusque præcipui
nominis consiliarios diligenter ageret,
cum summa testificatione necessitudinis,
officiorum & amoris erga Dil. V. nostri,

K 4

sicut

sic, ut omnes in aula Augusta facile perspe-
cturi sint, dignitatem Sereniss. Sabaud. fa-
miliæ nobis non minus curæ esse, quam no-
stram existimationem propriam. Ac quam-
uis de optimo Imperatoris animo non nisi
optime speremus: tamen si forte res præter
opinionem nostram ita plane & per o-
mnia, vt volumus, non ceciderit; certe
hoc adsequimur, vt nostrum studium fi-
dem & perpetuam voluntatem in tuendo
& amplificando honore cognoscant o-
mnes. Porro Dil. V. dignissimum Domi-
num Franciscum Vaudanum libenter au-
diuimus, & declaratam nobis beneuolen-
tiæ vestram audiuimus libentissime. Et
si autem a D. V. tam egregia precio, arte
& ingenio præstantia dona non expecta-
bamus: tamen vt ex aliis rebus omnibus,
ita ex quoque insigni liberalitate &
munificentia præcipuum studium & ani-
mum D. V. erga nos singularem cum sum-
ma voluptate euidentissime perspeximus.
Quamobrem gratias agimus amanter, &
quamuis splendore atque præstantia mu-
nerum cum Dil. V. certare non possimus:
tamen in contentione hac mutui amoris
nos beneuolentia, studio & obseruantia,

non

non patiemur vñquam vinci a Dil. V. cui
felicissimos omnium rerum successus a
Deo O. M. sincere & ex animo precamur.
Datum Dresdæ prid. Cal. Iul. Anno LXXIX.

LXV. DVCI SABAVDIAE.

*Pergit Augustus in promouenda caussa
Sabaudica, variisque modis & consiliis iu-
uandi animum testatur.*

EA est nostra erga Dil. V. propensio,
is animi nostri sensus, vt non solum
omnia præstare Dil. V. caussa, quæ
possimus, libenter velimus; sed ea quo-
que, quæ non possimus, debere nos pu-
temus. Quare cum anno superiore per
nos, tantum in Dil. V. negotio, quantum
evidem cupiebamus, effici non posset,
aliquam inde molestiam traximus: qua-
iam leuati nonnihil videmur tum litteris
Dil. V. humanissime ad nos scriptis; tum
oratione, qua Dominus Franciscus Vauda-
nus litterarum humanitatem mirifice sub-
secutus fuit: sic vt facile perspici poterit, a
D.V. pro insigni æquitate & bonitate natu-
ræ suæ nostram in ipsam officia magis etiam
prædicari, quam a nobis ponderari solent:
quæ res in curis nostris, quas ad tuendam di-

K 5 gnita-

gnitatem Dil. V. contulimus, magnam nobis
voluptatem attulit, & fecit, ut iucundum
nobis esset, denuo requiri officium no-
strum. Itaque non modo operam, stu-
dium, diligentiam, fidem, & reliqua in-
hoc genere omnia Domino Vaudano pro-
lixe polliciti sumus: sed &, quod esset
consilium nostrum, exposuimus: & ostendim-
us, recte ipsum facturum esse, si hinc
ad Electorem Brandenburgicum profici-
catur, eidemque rationes Dil. V. decla-
raret, cui nos quoque litteris negotium
commendaturi essemus diligentissime. Et
quia dies comitiorum septemviralium
instaret, sic, ut ante conuentum istum re-
liquos Imperii Electores nullibi commo-
dius quam Norinbergæ adire posset: mo-
nuimus illum, ut re apud Brandenburgi-
cum confecta, Norinbergam veniret, & re-
liquorum Electorum animos & studia cau-
ſæ huic præsens conciliaret, vbi neque no-
stra opera Dil. V. esset defutura ad hoc, ut
communi consensu Serenissimæ Sabaudiæ
familia dignitas atque auctoritas sua con-
seruetur, omnesque intelligent, nos cum
priuatim tum publice non modo fautores,
sed etiam amplificatores Dil. V. esse: quam
per

perpetuo recte valere, & rerum successu
prosperrimo gaudere ex animo cupimus.
Dresdæ XVI. Cal. Sept. Anno LXXIX.

LXVI. DVCI SABAVDO.

*Hæ litteræ ex sequentibus lucem acci-
piunt.*

SAlutem & operam nostram in omni
officiorum genere paratisimam Se-
reniss. Princeps, Domine ac adgnate
noster charissime. Gratissimum nobis, &
ei necessitudini, quæ sanguinis & amici-
tiæ iure iamdudum inter nos arctissima
intercedit, plane consentaneum fecit Dil.
V. quod nos per nobilem & generosum
virum Franciscum Vaudanum certiores red-
didit de re ad decus & ornamentum Illu-
strissimæ familie V. spectante: quam cum
æque ad nos, ac ad Dil. V. pertinere arbi-
tremur, id quod nobis hac in caussa opti-
mum factu visum fuit, legato Dil. V. osten-
dimus: ex quo hoc cognoscet planius, &
pariter intelliget, nos Dil. V. quam bene-
uolentia & amore perpetuo prosequimur,
& complectimur, omnibus rebus coniunctissimos esse, eiusque caussa nihil non
cupere. Bene ualeat Dil. V. Anneburgi
V. Id. Iulii Anno LXXX.

LXVII.

LXVII. RESPONSVM.

Augusti ad mandata , quæ per Emanuelis
Philiberti Ducis Sabaudiæ legatum nobis-
lem & generosum Virum Dominum
Franciscum Vaudanum exposita
fuerunt.

*Hic Aug. consilium dat , qua ratione se-
Sab. Dux gerere possit , vt primus illi locus ,
qui a Medicea domo dubius reddebatur , con-
cedatur.*

ET si Illustrissimus Sax. Dux Elector Serenissimum Sabaudiæ Ducem pro singulari prudentia sua , neque consilio , neque pro ea auctoritate , qua apud omnes sacri Romani Imperii ordines merito suo plurimum valet & potest , auxilio ullius indigere censem : tamen valde amanter & perhumaniter factum esse iudicat , quod Serenissimus Sabaudiæ Dux , in causa , quam Dominus legatus eleganti oratione exposuit , Illust. Sax. Ducis Electoris sententiam , & , si ita res postulet , etiam operam requirit . Ad utrumque autem Illust. Sax. Dux pro ea necessitudine , qua Sereniss. Sabaudiæ Duci adgnato suo charissimo coniunctus est , se obstrictum & obli-

obligatum esse agnoscit. Ac, ut Serenissimum Sabaudiæ Ducem pro insigni virtute & magnanimitate sua ab omni arrogancia & vana ambitione alienissimum esse nouit: ita Illustriss. eius Celsitudo recte facere censet, quod locum illum, qui post Ducem Venetum Illustriss. Ducum Sabaud. familiæ antiquo instituto & iure proximus debetur, non plane fastidit, & negligit. Cum autem Romanus Pontifex, qui Illustrissimam Mediceorum Dicum familiam maioribus titulis primus auxit, ipse litteris suis ad Sereniss. Sabaudiæ Ducem scriptis, liquido profiteatur, se non voluisse, immo nec cogitasse quidem vñquam, Serenissimo Sabaudiæ Duci eiusque successoribus hac nouæ dignitatis concessione, qua Mediceam Domum ornauit, quicquam præiudicari aut omnino illum subsequi hanc debere: et hoc etiam amplius ipsemet Serenissimus Hetruriæ Dux in epistola, qua Serenissimi Sabaudiæ Duci gratulationi respondit, manifeste contestatus sit, mutuam vtriusque Principis amicitiam, atque parem amorem & fidem non pati, se antecedere Serenissimum Sabaud Ducem; neque tales quic-

quicquam se vñquam in animum induxisse suum : Certe aliter fieri non potest, quam vt statuatur , Potentissimo quondam, eidemque Illustrissimo Imperatori, Diuo Maximiliano piæ memorię, nihil minus in mentem venisse : quod in Sereniss. Sabaudiæ domus iniuriam aliquid decernere, aut clementiam, & liberalitatem suam in illius iuris detrimentum redundare voluerit. Quamobrem Illustrissimus Sax. Dux Elector existimat, recte facturum Serenissimum Sabaudiæ Ducem , si hæc, vti gesta & acta sunt , cum debita obseruantia, ad Sac. Cæs. Mai. retulerit. Neque vero dubitatur, si quid forte obscurius in decreto hac de re in comitiis Ratisbonensis proximis facto perscriptum sit, quod ad interuersionem iuris Sabaudici interpretatione minus commoda torqueri posset ; quin id totum, quicquid sit , Sac. Cæs. M. pro insigni æquitate & iustitia sua ita interpretatura sit, & moderatura, vt nemo ex his , ad quos ea res pertinet, se iniuste præferri , aut sententia Imperatoria, quæ semper est & fuit æquisimia, læsum existimare aut conqueri merito possit. Qua in re si quid Illustrissimus

mus Sax. Elector pro suo erga Sabaudia^m
 Ducem perpetuo amore & studio facere
 & præstare potest, quo egregia illa bene-
 uolentia, & insignis animorum coniun-
 ctio inter Serenissimos utriusque familiæ
 Illustrissimæ Principes, saluo nihilominus
 & integro vniuscuiusque iure, non modo
 retineri, sed conglutinari ac constringi
 arctius etiam possit: nihil profecto præ-
 termittet, quod ad officium fidelissimi
 adgnati & optimi Principis pertinere vi-
 debitur. Actum in arce Anneburgensi V.
 Calend. Aug. Anno LXXX.

LXVIII. DVCI SABAVIDIAE DOMINO EMANVELI PHILIBERTO.

*Hac epistola est commendatio Beroi in Sa-
 baudia hereditatem adeuntis.*

B. 6. 9. **C**VM minister noster in Sabaudiam
 iturus esset, Petrus Berous, vt hære-
 ditatem sibi & fratri suo a patruo
 delatam cerneret, & rogaret, vt pro illo
 ad D. V. scriberemus: noluimus homi-
 nem nobis ob operas fideles probatum si-
 ne litteris nostris dimittere, non quod
 existimaremus, illum nostra commenda-
 tione egere: sed vt Beroo, cui persuasum
 erat,

erat, intercessionem nostram magno sibi adiumento futuram esse, obsequeremur, & pariter certiores D. V. redderemus, si forte aliquando accideret, ut hereditas cuiquam suorum subditorum in nostris ditionibus obueniat: nos bonorum possessionem legitimis successoribus nequaquam negatuos esse. Quare a D. V. petimus, ut ea faciat Petri Berou caussa, quæ sua amplitudo & iustitia postulat: id quoque perficiat, ut intelligat Berous, nobis & negotium eius curæ, & diligenter id D. V. commendatum fuisse. Hoc Dil. V. etiam atque etiam rogamus, quam felicissime valere cupimus. Datae Dresdæ Non. Aug. Anno LXXX.

LXIX. DVCI SABAVDIAE CAROLO EMANVELI.

Cum Emanuel Philibertus vitam cum morte mutasset, & commendatio ad eam data irrita esset, Augustus commendationem banc ad successorem, Carol. nempe Emanuel. dirigit.

Abiit hinc ante paucos dies cum litteris nostris commendatitiis scriptis ad Dil. V. parentem felicis memoriae, minister noster Berous in Sabaudiam pro-

profecturus, ut adiret hæreditatem, quæ sibi in prouincia illa delata esset. Is cum in itinere comperisset, Dil. V. patrem ex hac caduca ad immortalem vitam euocatum esse, magno dolore animi ad nos huc rediit, ac petiit, ut eam caussam, de qua paullo ante scripseramus, rebus iam conuersis, denuo Dil. V. commendaremus. Quam petitionem, quod ea ante hac nobis aquissima visa esset; omnino iterum admittendam censuimus: præsertim cum persuasum nobis esset, litteras has nostras non minus apud Dil. V. valituras esse, quam olim apud eiusdem parentem piæ recordationis valuissent. Quamobrem a Dil. V. eadem iterum amanter petimus, ut videlicet clienti huic nostro, Petro Beero, ius expeditissime reddi iubeat, si forte difficiliores aliqui controuersiam ipsi de bonis defuncti mouerint; sibique his litteris nostris cautum esse sciat, nos in pari caussa subditorum Dil. V. si aliquando tulerit occasio, idem plane ius dictuрос esse, ne legitimis successoribus temere lites inferantur. Bene valeat Dil. V. & de nobis sibi omnia polliceatur, quæ ab amantissimo Principe expectari pari est.

L

Data

Datæ Nassouiæ Prid. Id. Nouemb. Anno
LXXX.

LXX. DOMINO CAROLO EMANVELI
DVCI SABAVDIAE.

*Andreas Pauli ad Ducem Sabaudie able-
gabatur, ut quadam Electoris nomine ibi
conficeret: has igitur litteras tanquam te-
stes commissi negotii adfert.*

Quod eo casu, quo nos grauissime
adflicti sumus, officium præstare co-
ram non possimus, id Dil. V. per
nobilem & clarissimum consiliarium no-
strum, & fidelem nobis dilectum, domi-
num Andream Pauli, repræsentandum
esse censuimus: quem ad Dil. V. hoc tem-
pore mittimus, vt id, quod præsentes de
rebus huc pertinentibus coram commu-
nicassemus inter nos, ille nostris verbis
explicet, & quanti nos Dil. V. faciamus,
declaret, & quæ a nobis præterea in man-
datis habet, expediat. Huic itaque vt
Dil. V. ad se faciles aditus præbeat, eaque
omnia, quæ nostro eidem exponet nomi-
ne pluribus, perinde, ac si ex nobis coram
audiret, interpretetur, habeat & accipiat,
majorem in modum amanter Dil. V. ro-
gamus

gamus: quam recte valere, & felici rerum successu perpetuo frui optamus ex animo. Dresdæ VI. Cal. Februarii Anno LXXXI.

LXXI. DOMINO CAROLO EMANVELI DVCI SABAVDIAE.

Phil. Loueneitus a probitate, ingenio, fide, multis aliisque virtutibus Ducis Sabaudiae commendatur.

CVM non tantum legati nostri ante id tempus ex aula imperatoria reuersi apud nos prædicarent; se Domini Philiberti Loueneiti in negotiis sibi quondam a diuo parente Dil. V. commissis, curam, diligentiam, solertiam, & in omni genere fidem atque prudentiam perspexisse: sed nos etiam ipsi recordarēmur, qua dexteritate & elegantia idem apud nos caussam sibi a diuo Patre Dil. V. mandatam pergisset: benevolentia erga hominem industrium, & patrono suo fidem atque utilem adducti sumus, ut rem partim cognitam, partim ad nos delatam Dil. V. per litteras significaremus: non equidem, quod dubium nobis ullum esset, quin Louoneitus ob ingenii promptitudi-

L 2 nem

nem & obsequia diuo Dil. V. parenti fideliter praestita probatissimus & charissimus deinceps Dil. V. futurus esset. Sed ut virtuti eius debitum testimonium daremus: & pariter Dil. V. ostenderemus, magnam nos existimare partem esse felicitatis, si magni Principes abundant ministris probitate, ingenio & fide præstantibus: quo in numero si Loueneitum Dil. V. habuerit: & in eum, quem eius mereatur virtus, locum reposuerit: haud equidem male consulturam esse rebus suis: quas nos crescere augeri & florere perpetuo cupimus. Bene valeat Dil. V. Dresda VI. Cal. Februarii Anno LXXXI.

LXXII. MANDATA

Quæ nos Augustus ad Carolum Emanuelem
Confiliario nostro & fideli nobis dilecto
Domino Andreæ Pauli ICto perfe-
renda dedimus.

1. Legatus bene directo itinere, ut officii ratio postulat, se gerat.
2. Exponat tristitiam ex morte Philiberti Augusto natam, & excusat moram.
3. Exemplar legato datur elegantissimum, ubi virtutes demortui Principis tanquam in compendio enar-

enarrantur, ad cuius normam Ducem de-
natum laudare, Augusti dolores, animum-
que in nouum Ducem Sabaud. & tandem
potia longa oratione describere debeat. 4.
Causus sit in cognoscendis consiliariis, Gal-
lorum ne an Hispanorum partibus studeant,
& aliis buius generis rebus. 5. Si forte
mentio de titulo noui Ducis Florentie fiat,
suadeat, ut res ad Imperatorem & Electo-
res deferatur. 6. Prudentis legati munia
expleat.

ITa rationes suas instituet consiliarius
noster, ut profectionem in Pedemon-
tium mature suscipiat, & quoad eius
commode fieri potest, quam citissime a-
gnato nostro charissimo, Domino Carolo
Emanueli, Allobrogum Duci vel Augustæ
Taurinorum, vel eocoloco, vbi Dil. V. eius
commoratur præsto esse possit. Quo
cum Deo adprobante peruererit: initio
aditum ad Dil. eius familiarium opera sibi
commode aperiet: & ad colloquium ad-
missus, litteras nostras honorarias, ut mo-
ris est, coram reuerenter reddet, pariter-
que nostris verbis Dil. eius salutem officio-
se dicet: ac vitæ ac valetudinis integrita-
tem rerumque omnium, in quibus magni-

& fortunati Principis dignitas , & incre-
menta continentur , prosperrimos succes-
sus a Deo optimo Max. precabitur , & of-
ficia nostra studio & voluntate paratissi-
ma ostendet , ac porro significabit : Post-
eaquam nobis renunciatum esset de mor-
bo Sereniss. quondam Principis Domini
Emanuelis Philiberti Allobrogum Ducis
agnati nostri charissimi felicis memorie ,
nos sane pro eo , ac debuimus magna ani-
mi solicitudine & molestia adfectos fui-
sse . Quam , et si bona spe , & piis pro in-
certo euentu valetudinis dulcissimi quon-
dam agnati nostri votis leuarimus : tamen
paulo post nobis eas litteras adlatas fuisse ,
quas Dominus Carolus Emanuel agnatus
noster charissimus VI. Id. Septemb. scri-
ptas Augustæ Taurinorum ad nos miserat ,
ex quibus , cum quid porro accidisset , co-
gnouissemus : tanta nos doloris magnitu-
dine oppressos fuisse , vt ægre luctus acer-
bitati resisteremus . In his autem maximis
molestiis , cum neque animo ad rescri-
bendum satis tranquillo essemus , neque
officium necessitudini Dil. eius debitum
recte præstare possemus , factum esse , vt
in tanto moerore , quem ex obitu pater-

no

no Dil. eius grauiſſimum coepiſſe ſtudium
par non erat , huc vsque tacuerimus.
Quamobrem nos vehementer etiam atque
etiam rogarē , vt Dil. eius de mora dilati
longius officii huius nos amanter excusa
tos habeat. Vel quod ante hac ad con
ſolandum Dil. eius minime eſſemus ac
commodati , vel quod aliqua ex parte
temporis medicinam expectandam existi
maremus , nec recens vulnus impetue
tractaretur. Omnino enim fatendum eſſe ,
non tantum Dil. eius & nobis vtrius
que priuatim , ſed & publice lugendi gra
uiſſimas cauſas tristiſſimum hunc caſum
attuliffe ; quo Dil. eius amantissimo Patre
orbata , nos agnato & amico fidelissimo
priuati ; reſpublica vero Principe optimo
& præſidio fortiſſimo ſpoliata fuerit : id
que alieniſſimo tempore , quo videlicet
tota vndique vicinia in ærumnis ſit : &
bellis domesticis ita ardeat vniuersa , vt
pene conflagrata eſſe , eaque calamitas to
ti inde Imperio impendere videatur.
Sic , vt ſi vñquam alias , hoc profecto pla
ne dubio , & incerto rerum ſtatu resp.
vel maxime vigilantiaſima cuſtodia indi
guerit ab ea potiſſimum parte , quæ vt di

scrimini est proxima, ita iam a pugnato-
re nudata, & bellorum incendiis exposi-
ta esse videatur; ad quæ non modo a li-
mine arcenda, sed in principiis quoque
finitimis restinguenda, plurimum & au-
toritas, & prudentia defuncti Principis
prodesse poterat; quod eius virtus, & do-
mi, & foris omnibus summæ & infimæ
fortis hominibus perspecta, & cognita,
meritorum suorum fama, & gloria totum
Christianum orbem peruagata, ac vi &
splendore suo, non tantum subiectorum
populorum amorem & obseruantiam,
sed & Regum & Monarcharum maximo-
rum animos & benevolentiam ad se rape-
ret: nemine yspiam & omni Illustr. Prin-
cipum choro existente alio, qui maiori
æquitate & iustitia in clientes atque ciues
suos vteretur, qui propinquorum, amico-
rum & viuorum Principum amicitias ma-
iori studio, fide & constantia appeteret,
coleret, ornaret & reip. ita addictus es-
set, vt omnibus rebus patriæ salutem &
commoda procuraret, tueretur, & ampli-
ficaret. Ac quamuis etiam longe plura-
restarent, quæ in laudes defuncti Principis
merito dici possent ac deberent, quæ sane
omnia

omnia in hoc funere omissa perpetuam
caussam priuatæ & publicæ moestitiae
complectarentur, & dolorem tanto cumulo
vndique augeant, vt non facile cuius-
quam oratione exhaustiri vniuersa possint:
siquidem nullam præterea, quam nostra-
rum rerum curam suscipere, atque ea-
tantum animo intueri velimus, quæ ad
commoda nostra referuntur: tamen si a
nobis ipsis & rerum nostrarum conside-
ratione discedere, & ad defunctum Prin-
cipem, eiusque, quæ iam tenet propria-
bona, pios mentis christianæ oculos,
conuertere placeat: fieri aliter non pos-
se, quam vt ex moerore hoc nostro, nisi
plane impii & in defunctum Principem pla-
ne iniqui esse velimus, plurimum diminua-
tur. Cum negari non possit, charissimum
agnatum nostrum & gloriae suæ & naturæ
satis diu superfluisse: vt & patriæ fortasse
parum, sibi certe quamdiu opus fuerit, vi-
xisse videatur, Cumque reip. quod de-
beat iamdiu exoluisset, & tam suis laudi-
bus, quam præstantissimi filii summa vir-
tute, & ingenio fortunam omnium supe-
rasset, atque in horum temporum pertur-
batione videret, & sentiret ea miseri,

L 5

para-

parari atque impendere reip. quæ ruinam
secum trahere putarentur: neque iam
præter eius amorem in vnicum filium, &
huius erga patrem laudabilem pietatem
quicquam in his terris esset amplius,
quod ad longiorem vitam Dil. eius
inuitare posset, sine omni dolo-
re ex ærumnosi huius mundi calamitati-
bus & tenebris ad sempiternam quietem
placide obdormientem commigrasse eo
gloriæ suæ, quam omnis alet posteritas,
& memoria deinceps seculorum celebra-
bit sequentium: hærede post se in terris
relicto in quo abunde omnia sint indu-
striæ, ingenii & summæ virtutis orna-
menta, & in quem onus reip. post hac re-
cumbere possit. Sic vt videri queat, inui-
diæ potius quam pietatis esse, cum for-
tuna, & conditore vitæ atque omnium
rerum Deo immoderate queri: quod
optimus Princeps ex hac vita caduca fra-
gili & calamitosissima quasi ex turbulen-
tissima iratiæ & quoris tempestate in portum
tutissimum relatus, immortalitatem in-
duerit, & iniquissimam huius ærumnosi
seculi conditionem commutarit cum per-
petui-

petuitate eiusmodi, quæ curarum, solici-
tudinum, dolorum, & omnium denique
aduersitatum atque periculorum penitus
est expers. Ad quæ hoc quoque perti-
neat; quod ipse iam in optima melioris
vitæ conditione constitutus, vt nos certe
hic in squalore, & moestitia non iacere
diutius; ac eum potius lugendi modum
tenere velit, quem sacrarum litterarum
diuinitus tradita, & christianis Principi-
bus dicta præcicit regula: quæ vel sola nos
ad æquitatem animi extollere, & tantum
valere debeat, vt frangamus nos, & co-
gamus ferre toleranter desiderium eius,
quem mors eripuit. Itaque dandum esse
piis defuncti manibus, dandum patriæ &
reip. cuius interest, vt animos a solicitu-
dine, dolore & luctu abducamus, ac si a
præpotenti Deo pietatem, defuncto gra-
titudinem, patria autem fidem nostram
conuertamus potius, quæ ad commoda,
& salutem eius prouinciae spectant; quam
optimus Princeps inter tot vndique in-
gruentia pericula, saluam atque integrum
e vita decedens suauissimo filio in manus
fide atque virtute præstantes tradidit, ac
in tutelam commendauit. A quo iam tot
clien-

clientum & ciuium optimorum spes atque fortunæ omnes pendeant: cuius salute suam continere intelligent, & sentiant: cuius patrimonium hoc amplissimum fortunare Deum O. M. cupiamus, atque bonis omnibus eius laudabiles conatus sequentes ex animo precemur, vt eiusmodi consilia capiat & sequatur, quæ ad genuinam coelestem saluificæ fidei atque veræ pietatis doctrinam propagandam, & ad procurandam suam & prouinciarum subiectarum salutem atque commoda, conducant: eaque animo Dil. eius subiiciant, quibus illa, quæ sunt in imperio amplissima facile consequi; & nos ac reliquos amicos & ciues suos summa lætitia ac plurimis maximisque muneribus adficiere, & præstare possit omnia, quæ a summa virtute, & summo ingenio atque probitate Dil. eius omnium ordinum homines expectant. Ut & patria præside suo perpetuo gaudeat, & hic in summa tranquillitate, & otio bonis iis, quæ ipsi natura, studio, & fortuna amplissima data sunt diutissime & felicissime perfruatur, adeoque antiquissimam, atque nobilissimam Ducum Sabaudiæ familiam, iam ad vnum

vnum caput eximum redactam, ab interitu vindicet. Quod certe Dei O. M. benignitate ita fore, cum nos certo confidamus, tum vero optemus etiam maxime, ut Serenissima Sabaudiae domus, quæ & sanguinis origine, & plurimis officiis nobis coniunctissima est, viris, copiis, opibus, potentia, auctoritate, felicitate ac gloriæ & laudis ornamenti omnibus perpetuo abundet, & floreat. Quæ sane omnia & singula consiliarius noster pro ingenii & iudicii sui dexteritate pluribus etiam verbis amplificabit: ac quod his porro addi, aut demi oportet, ex re & tempore ita constituet, ut pedetentim accessus ad exponendum iustas tam suscipiendi, quam deponendi luctus caussas, & ab his gradatim ad lætiora recessus faciat, atque omnia in hanc sententiam acrius apertius & significantius dicat, & ita plane doloris nostri societatem Dil. eius verbis nostris repræsentet: ita consolationem adhibeat, ita gratuletur, ut in animos atque oculos auditorum penetret eius oratio, omnesque intelligent nos gaudere commodis, honoribus: nihilque putare in vtraque fortuna nobis a Dil. eius se-
iun.

iunctum esse. Quibus ad extremum etiam illud addet, cupere nos omnem nostram curam studium, fidem & benevolentiam a defuncto in hæredem transfundere, atque eum amorem, quo Dil. eius viuo adhuc parente complexi sumus, tanto augere cumulo, vt Dil. eius nobis æque chara futura sit, ac fuerit antea patris : possitque in nostra benevolentia omnes suos dolores deponere ac suauiter acquiescere. Atque hæc etiam pluribus confirmabit consiliarius noster: ac toto illo tempore, quo in aula Sabaudica versabitur, tam mores & artes; quam curas & actiones hominum diligenter obseruabit, in primis autem eorum, quos Dux Allobrogum in consiliis capiendis præcipuos habeat: quorumque monitis vel maxime obtemperiet: ita, vt ad nos reuersus ostendere, & liquidо declarare nobis possit, Gallorum an Hispanorum potius partibus illi studeant, & quo clientes in patronum Principem, & hic in subditos animo sit. Cumque iamdiu cognouerimus, defunctum Principem testamentum condidisse: quos ille filio tutores dederit, quæ de his opinio sit hominum: ac si quæ præterea restant

restant alia, quæ caute explorari possunt,
oportune inuestigabit. Ut ex his rebus,
si quando consilium Dux anobis Allobro-
gum deinceps petiturus est, constitui re-
cte possit, quod in deliberationibus eius-
modi nobis sequi tutissimum & optimum
visum fuerit. Porro meminisse consiliarium
nostrum volumus: si ipso præsente (quod
omnino futurum putamus) de illa con-
tentione, quam inter Italæ proceres no-
ui Florentinorum Ducis tituli concitarunt,
mentio inciderit, nos paullo ante Princi-
pis defuncti mortem, hac de re cum Dil.
eius legato Dno Francisco Leonhardo Vau-
dano rationes communicasse: visumque
nobis tum esse, non alias rectius confici
hoc negotium posse, quam communi E-
lectorum Imperii consensu & voluntate:
itaque & reiiciendum esse ad collegium
septemuirale totum id censuisse nos: &
in hac sententia permanere adhuc. Etsi
enim hactenus studium nostrum in hac
caussa consumserimus, omnesque vias per-
secuti simus, quibus ad id, quod volu-
mus, peruenire nos posse putaremus: ta-
men nullum alium huius controuersiæ ex-
itum reperire nos potuisse, quam si eo-
dem

dem omnium Electorum auctoritas accedit. De nostro suffragio in hoc sermone consiliarius noster ostendere poterit, dubium nullum esse : quin pro nostra in Ducem Allobrogum charitate paterna, & benevolentia perpetua, facturi simus omnia, quæ ad tuendum honorem, existimationem, dignitatem, & amplitudinem Serenissimæ Sabaudicæ familiæ pertineant. Idque nos tam memoriae defuncti patris, quam amori nostro erga filium singulari, daturos libenter esse: nec non de voluntate collegarum nostrorum hac in parte sperare optime, quod arbitremur, horum animos ad suscipiendum & perficiendum pari nobiscum fide cura & alacritate negotium hoc litteris nostris, & oratione Domini Vaudani iam præparatos & accensos esse: quem hinc a nobis ad singulos profectum fuisse, eademque petiisse, quæ a nobis defuncti Principis nomine & verbis postulauerat, nobis sit persuasum. In reliquis denique, si quid vel ipse Princeps Allobrogum vel ministri eius consilio nostro in sermonibus iniicient, quod consideratione maior iudicetur, eam ille cautionem adhibebit, ut nobis res seruetur

tur integra, & omnia, quæ ipsi in mandatis dedimus, cum dignitate nostra rectissime conficiantur. Quia in re ut prudentiæ & solertiæ illius tribuimus plurimum: ita ut haec de animi nostri sententia se agere sciat, nos præceptis his nostris infra subscripsimus, eademque spra-gide annuli nostri consignari iussimus. Dresdæ VI. Cal. Febr. Ao. LXXXI.

LXXIII. CHRISTIANVS DEI GRATIA
DVX SAXON. DOMINO CAROLO
EMANVELI DVCI SABAV-
DIAE.

*Ser. quondam Christianus dolet mortem
Ducis Sab. appræcatur felix imperium &
amicitiam offert, vicissimque sperat.*

Quia obseruantia Serenissimum Principem Dominum Emanuelem Philibertum Dil. V. patrem pie recor-dationis semper coluerim, sum ipse mihi testis. Nam quo maior inter Dil. eius & paren-tem meum erat conjunctio, eo magis ego D eius appetebam, sic ut velut alterum paren-tem venerarer viuum, & iam defunctum lugeam ut filius. Auget autem mihi dolorem etiam Illustrissimi & charissimi pa-tris mei molestia, quam ex hoc casu tra-

xit acerbissimam: de qua re pluribus scribere non ausim, ne Dil. V. vulnus quod grauissimum ex obitu paterno accepit, refrigerare videar. Etsi autem tali tempore aut consolari amicorum est, aut polliceri; tamen consolatione non vtar, quod sciam Dil. V. & natura & studio ita animatam esse, vt casus humanos pie & fortiter ferre possit. Quod vero pollicear, nihil habeo aliud, quam benevolentiam, amorem, & studium erga Dil. V. meum singulare, quod equidem re potius, quam verbis declarare cupio. Extremum illud est, vt optimis votis omnibus prosequar susceptam a Dil. V. paternarum ditionum administrationem, quam cupio, & opto cum gloriæ diuinæ seruire in primis, tum vero summam dignitatem adferre Dil. V. ornamenti & commodis, quibus mirabiliter faueo, quod hæc pro illustri Parentis mei erga Dil. V. plane paterno affectu & meo amore fraterno omnino mihi communia esse existimo cum Dil. V. quam bene valere ex animo cupio; & vt eame dignetur benevolentia, qua sui studiosissimos & amantissimos Principes amplecti solet

solet amanter rogo. Dresdæ V. Id. Februari. Ao. LXXXI.

LXXIX. DVCI SABAVDIAE.

Commendatur Stanschedelius, ut in numerum ministrorum Ducis recipiatur.

Quotquot nobis vel subiectione vel ministerio addicti sunt, ii omnes propter coniunctionem, & necessitudinem, quam norunt inter nos esse aristissimam, æque se in Dil. V. atque in nostra clientela pari iure & patrocinio continentri sibi persuadent. Quare qui hinc a nobis ad Dil. V. proficiscuntur, neque patriam, sed locum tantum mutare se existimant, satisque sibi cautum & prouisum esse putant, si aliquid a nobis littarum ad Dil. V. perferant, quibus veluti testibus se in numero nostrorum clientum esse probare possint. Et quia hæc ipsorum persuasio nobis iucundissima est: sic fit, ut pro omnibus, quos ita animatos esse perspicimus, libenter, tum vero libentissime ad Dil. V. pro Balthasare Stanschedelio scribamus: quem ex ea, quæ nobis deuota est, nobilitate ideo mirifice diligimus, quod & familia Stanschedelia in

M 2 nostris

nostris ditionibus celeberrima semper florerit, atque muneribus publicis cum magna dignitate functa fuerit. Et hic maiorum suorum similis laudabili studio perlustrandæ Italæ incensus, multarum sibi rerum usum peregrinatione comparare, & ad eius se principis ministerium potissimum conferre cupit, in cuius causa veluti in celeberrimo aliquo virtutis & industriae gymnasio magna cum utilitate sua versari possit. Hunc itaque Balthasarem clientem nostrum Dil. V. diligentissime commendamus, ac maiorem in modum petimus, ut ipsi in fidem & numerum ministrorum suorum recepto, trium equorum stipendia benigne constituat. Id si impetramus a Dil. V. quod reliquum est, in nos recipimus, & spondemus eo ipsum esse ingenio, fide, probitate, industria, & moribus, ut postea Dil. V. si ei cognitus fuerit, non tantum benevolentia, & patrocinio suo, sed & commendatione accuratiore (licet hanc accuratissimam esse voluerimus) dignissimum illum esse, sit existimatura, & in eo diligendo idem, quod nos iudicii, & voluntatis sit habitura. Nobis certe gratissimum erit, si intellege-

tellexerimus, has nostras clienti huic nostro magno usui & adiumento fuisse apud Dil. V. cui longeuanam vitam, cum pari valetudinis integritate coniunctam sincere optamus. Ex arce nostra Lichtenbergiana XIII. Cal. Oct. Ao. LXXXII.

LXXV. AVGVSTVS DVCI SABAVDIAE.

*Princeps Finalii per Augusti intercessio-
nem consecutus fuerat, offensæ, quam
apud Phil. Eman. contraxerat, condonatio-
nem: proinde gratias hic agit Elector pro
bac benevolentia alii per suam commenda-
tionem tributa, & deinde reliqua omnia ad
banc cauſsam plenisime perficiendam, Mar-
chionique maxime necessaria quam optimè
commendat, & suadet.*

Conuenit hic nos Illustrissimus Princeps Dux Alphonsus Princeps Finalii, atque Dil. V. mirificas apud nos gratias egit, quod litteras nostras pro illo scriptas præcipuum aliquod pondus ha-
buisse diceret; & decreto interposito o-
mnem sibi offensam, quam apud diuum Dil. V. parentem contraxerat, penitus condonatam esse prædicaret: seque para-

tissimum esse ostenderet, ea omnia gratissimo animo præstare, quæ patronum a beneficiario cliente postulare par est. Fuit nobis id tam iucundum, ut officio nostro defuisse videremur, nisi Dil. V. voluptatis huius, quam ex gratulatione Domini Marchionis sentiebamus, participem fecissimus, ac pariter ostendissemus beneficium Dil. V. optime positum fuisse collatum in virum Principem, quem & animo, & re ipsa gratissimum atque memorem esse experti essemus. Nunc igitur non modo ex commendatione nostra priore nihil remittimus; sed eo quoque vehementius a Dil. V. omni studio atque cura contendimus, ut reliquum huius negotii, pro quo æque ac si res nostra ageretur, laboramus, ex voto Domini Marchionis plane expeditat ac primam quidem procuratori fisci sui mandet, si quam ante id tempus Domino Marchioni actionem intulit, eam deinceps penitus aboleri iubeat, neque reum hoc nomine amplius omnino peragat. Deinde, ut Dil. V. Domino Marchioni bona omnia, quæ maiores ipsius a Serenissimis Sabaudiæ Ducibus iure beneficiario acceperunt, absque villa diminutio-
ne be-

ne beneuole concedat: & horum vniuersorum uestitiram, vt vocant, per mandatarium suum petenti benigne tribuat, eaque de re diplomata ad exemplum uestiturae veteris absque mutatione prioribus plane conformia expediri, iisque priuilegia avita pari cum vetustis tenore inseri & dari iubeat: & ne singula enumeremus, totum denique Marchionem, tanquam vnum de familia nostra commendatum sibi habeat, omnique eo fauore, & beneuolentia, qua nos prosequitur, amplecti & in numero suorum habere dignetur. Idque vt Dil. V. plane faciat, tanto nos studio etiam atque etiam rogamus, vt maiore non possimus. Confirmabit profecto Dil. V. amplissime clientelas a maioribus suis acceptas, & non tantum Dominum Marchionem cognoscet in Dil. V. officio & fide esse singulari, sed nos quoque obligabit arctissime præfertim, si ex litteris Dil. V. cognouerimus, commendationem hanc nostram Domino Marchioni profuisse plurimum. Bene valeat Dil. V. cui nos omnium rerum felicissimos successus ex animo optamus. Augustæ Vindel. V. Non. Iul. Anno LXXXIII.

LXXVI. CHRISTIANVS DOMINO CA-
ROLO EMANVELI DVCI SABAV-
DIAE.

*Christianus testatur, litteras Car. Emanue-
lis sibi longe fuisse gratissimas.*

Serenissime Princeps V. Excelsit. omnia
honoris & obseruantiae officia a nobis
sunt paratisima. Domine, & agnate,
obseruantissime. Quod Excelsitas V. no-
stri memoriam cum summa benevolentia
retinet, id nobis longe est gratissimum.
Cum enim semper nobis optauerimus,
complecti Excelsitatem V. virtute, gloria,
estate, honoribus, ingenio, & animo flo-
rentem; quid nobis potest esse iucundius
Principis litteris, quem semper fecimus
maximi: Itaque tantus his ipsis ad nostrum
erga Excellentiam V. studium obseruantiae
cumulus est additus, ut nihil magis iam
cupiamus, quam ut facultas nobis detur
ornandae excelsitatis V. Cui diligentiam
fidem & obsequium nostrum in omni ge-
nere officii, quod ad honestatem & glo-
riam spectat, ita profitemur, & pollice-
mur, ut si quid intelligamus aut ad com-
modum aut ad voluntatem Excellentiae V.
pertin-

pertinere, nostra sponte id simus facturi
& libenter & sedulo. Bene valeat Excel-
sitas V. & nos vt instituit perpetuo reda-
met. Dresdæ X. Cal. Sept. Anno LXXXIII.

LXXVII. CHRISTIANVS CAROLO EMANVELI.

*Christianus Car. Emanuel de morte pa-
rentis sui certiarem reddit, in primis autem
addit rationem optimam, quo modo Augu-
stus animam Deo reddiderit. Parem igitur
benevolentiam a Duce Sabaud. desiderat, ut
patri præstiterat.*

Quæ fuerit Illustrissimi parentis no-
tri erga Serenissimam familam ve-
stram benevolentia, non arbitra-
mur obscuram esse cuiquam: & nos ipsi,
quanti hunc ille semper fecerit, testes su-
mus: diuum Patrem Dil. V. non secus ac
fratrem amplectabatur, atque ita colebat,
vt nulli Principum plus tribueret, nemini
magis confideret, neque alium æque di-
ligeret, & obseruaret. Hocce viuo exem-
plio omnem in Dil. V. veluti alterum fili-
um transferebat amorem, quem vicissi-
tudine officium indies auctum constantis-
sime retinuit: donec tandem hinc secum
M 5 in coe-

in coelum extulit: cum ad II. Id. Februario inter preces & gemitus nostros, quod non sine magno animi dolore scribimus, expirans omnibus bonis, & patriæ amantibus ciuibus, ardentissimum auctoritatis desiderium tantum reliquisset, quantum nec ferre quidem potuissimus: nisi coram vidissemus, cognouissemus, & interfuissemus ipsimet: quanta ille fiducia consiliorum & laborum suorum omnium, quos in vita pie & innocentissime acta, pro rei Christianæ & salutis publicæ commodis laudabili instituto suscepereat & impenderat, in vnius Salvatoris nostri Iesu Christi merito plane acquiescens absque ulla doloris & diffidentiæ significatione, christiane, & placidissime obdormiret: sic ut de asseueratione filii Dei, qua ipse omnes sibi vni confidentes, nullisque suis propriis virtutibus ad coelum intentos beatos esse, clarissime pronunciat: exploratissimum nobis sit, charissimum parentem nostrum nequaquam extinctum, sed ex hac rerum humanarum perturbatione & confusione ad lætissimam beatarum, animarum consuetudinem profectum esse; ubi ævo deinceps fruatur sempiterno.

Quam

Quam verissimam consolationem in hanc epistolam includere nobis visum est, ut qua vnica re in summo moerore vel maxime sustentari nos sentimus, eadem etiam Dil. V. leuaremus dolorem, quam pro suo erga beatum parentem nostrum animo singulari, & amore in nos fraterno, hoc tristi nuncio accepturam esse non ambigimus. Adeoque Dil. V. amicitiam omnibus deinceps officiis persecuturi sumus, vt intelligi possit, beati parentis nostri amorem erga Dil. V. cum reliquias nos haereditate ita creuisse, vt huius accessione magno cumulo auctam esse apparat eam benevolentiam, quam iamdiu habuimus erga Dil. V. cui vt pari erga nos studio & eadem voluntate idem praestare possit, velle enim non dubitamus, perpetuam valetudinis integritatem & rerum omnium successus latissimos precamur ex animo. Dresdæ Prid. Cal. Martii Anno LXXXVI.

LXXVIII. IDEM EIDEM.

Hæ litteræ magnum parentum desiderium significant, quod tamen solatio plane egregio leuatur. Deinde amorem utriusque parentis de

*tis depraedant; tandem optat Christianus,
ut recens natus hæres ad familiae gloriam
adolescatur.*

CVm more humano miras fortunæ vices nos experiri paucis mensibus Deus T. O. M. voluerit: nihil quidem in dolore nostro, quem ex vtriusque Parentis obitu summum accepimus, nos æque confirmauit, atque vox illa diuina, qua omnes, qui vnice filii Dei merito firma fiducia adhærentes ex hac vita discedunt, perpetuo deinceps beati pronunciantur. Etsi enim pro nostra erga beatos parentes nostros pietate & amore naturaliter insito casus isti acerbissimi non parum nos adflixerunt: tamen cum exploratum nobis sit, pie & christiane vtrumque obdormiuisse, cogitatione ita erigimur, vt voluntatem nostram ad nutum diuinum, quoad eius per humanæ naturæ imbecillitatem fieri potest, accommodemus. Atque hæc eadem Dil. V. adscribenda esse existimemus, quod ex litteris eius non leue beati parentis nostri desiderium eluceat. Ac scimus profecto illum, dum vixit, Dil. V. quondam patrem pia memorie, coluisse ut amicum, & amas-

se vt

se ut fratrem: atque hoc e rebus tandem
humanis exempto , omnem suum dein-
ceps in Dil. V. tanquam in filium amorem
& transtulisse & ad extremum vsque spi-
ritum conseruasse constantissime. Vnde
nobis quoque elaborandum est, vt omnes
intelligant, benevolentia huius erga Se-
renissimam familiam Sabaudicam perpe-
tuum studium a diuo nostro parente qua-
si per manus traditam, magnæ curæ esse.
Quamobrem omnibus Dil. V. rebus ita-
adficimur, ac si nostræ essent: lætamurque
in primis Dil. V. eleganti filiolo ex regiæ
stirpis coniuge auctam esse , eidemque
felicitatem hanc toto pectore gratulamur.
Deinde vero Deo auctori vitæ gratias agi-
mus, pariterque votis exoptamus arden-
tibus, vt recens natus Princeps in auitas
virtutes adolescat, ac porro diutissime su-
perstes & longæuus sit , vt rem olim Sa-
baudicam non modo in pace & otio feli-
cissime administrare ; verum etiam Sere-
nissimam gentem vestram in sempiternam
Sabaudici nominis gloriam progenie per-
petua propagare possit. Idque ut plane ita-
ratum & fixum sit, faxit Deus æternus:
cuius clementissimæ protectioni D.V. cum
lectis-

lectissima couiuge & filio dulcissimo fide-
liter & amanter commendamus. Chemnitii Non. Mai. LXXXVI.

LXXIX. PETRO BIZARO.

*Bizarus Augusta a senatu exire iussus,
nunc etiam veniam ab Augusto impetrat.*

Intelleximus ex litteris tuis a senatu Augustano mutandi loci necessitatem tibi adferri. Id autem, cum iuxta leges municipales fieri oportere prohibeat, non equidem magnopere laborandum nobis existimamus, vt diutius tibi Augusta hærere liceat, cum alibi æque bene & commode esse possis. Quamobrem, libenter permittimus, vt te vel Coloniam Agripinam, vel alium in locum conferas, vnde tuæ litteræ non minus recte, atque hactenus factum est, ad nos perferri possint. Quod te scire hoc tempore voluimus. Misenæ prid. Cal. Aug. LXXIV.

LXXX. Fideli nostro dilecto SEBASTIANO AMBROSIO.

Augusto probatur Sebas. Ambrosii institutum litterarum de rebus nouis missarum, id que pecunia subleuare studet.

Pro-

Probatur nobis diligentia & tua assiduitas in transmittendis litteris, quæ de statu rerum Italiæ, Hispaniæ, & ceterarum orbis partium singulis octo diebus Venetias perferuntur. Quam consuetudinem, cum etiam deinceps servaturum te esse contendas, in iis litteris, quas nuper X. die Mens. Septembr. Venetiis ad nos dedisti, existimauimus, petitionis tuæ rationem habendam esse. Mandauimus itaque præfecto ærarii nostri Iohanni Harro, ut quinquaginta taleros per eum tibi annumerari curet, qui has litteras nostras tibi est redditurus. Quod, ut scires, significari tibi voluimus. Anneb. prid. Cal. Nouembr. LXXIV.

LXXXI. Fideli nostro dilecto HVBERTO
LANGVETO.

Augustus scire cupit, quando Augustissimus quondam Cesar Viennæ sit discensus, & quæ sit huius itineris ratio.

DE profectione Imperatoris in Bohemiam ad nos varii & dubii sermones perferuntur. Nos itaque cum hac de re certi aliquid cupiamus cognoscere: benigne a te postulamus, ut dili-

diligenter & sedulo de itineris Imperatorii rationibus inquiras, & nos litteris tuis quam primum certiores facias, quo die Imperator Viennæ sit discessurus, quod iter tenere instituerit, & quando Pragam peruenturus sit. Hac in re te nobis studium & solertiam tuam probare cupimus. Anneb. prid. Non. Ian. LXXV.

LXXXII. HVBERTO LANGVETO.

Consentit bisce litteris Augustus in Huberti ad mercatum Francof. iter.

ET si te neque diu neque sâpe ab aquila Imperatoria abesse cupimus tamen, cum & Imperator hoc tempore Viennæ se moueat, & ex litteris tuis intelligamus, rei tuæ familiaris rationes omnino exigere, vt ad mercatum pro Franco-

Scripsérat ante Hubertus sequentia: Cuperem etiam, si id bona via Vestr. Cels. liceret, excurrere Francofurtum ad mercatum ob priuata quedam negotia, ac etiam, vt ibi certius cognoscerem, quis sit status rerum Gallicarum & Belgicarum, & post mercatum statim redirem, in hanc aulam: quam suppliciter peto a C. V. &c. vid. Ludou. Ep. p. 29.

Francofurti ad Moenum esse possis, petitioni tuæ benigne annuimus, ac permittimus, vt Francofurtum te conferas & negotia tua illic expediias. Curabis autem, vt quamprimum, & quoad eius fieri potest expeditissime in locum & stationem tuam redeas, ac, vt hactenus a te fit, officium tuum facias. Anneb. Non. Febr. LXXV.

LXXXIII. HVBERTO LANGVETO.

*Hac epistola eiusdem est argumenti cum
precedente.*

Si redditæ tibi fuissent litteræ nostræ Non. Febr. scriptæ, ex illis intelligere potuisses: nos, et si neque te diu, neque sæpe ab aula Imperatoria abesse cupiamus:

N tamen

Verba Langueti, quibus veniam petit, sunt sequentia: Ill. princeps, petii ante sex menses a V. Cels. ut mihi liceret Francofortum excurrere ob priuata quædam negotia, sed tunc respondit V. C. se habere cauſas, quare nolle me hinc discedere. Idem denuo peto a V. Cels. si enim eo iam non iuero ad mercatum, sentiam maximum incommodum in re mea, familiari, cum sperem eos, cum quibus mihi est negotium in patria eo venturos &c. Ep. XXVI. in fine p. 69. Verum non video, ex quibus verbis Epistola Electoris praecedentis id collige-

Tamen propter rei tuæ familiaris commoda benigne permisisse, vt ad mercatum proximum Francofurtum ad Moenum excurrere posses. Quo, vt tibi proficisci licet, his iterum litteris largimur, sic tamen, vt rebus illis tuis mature expeditis & confectis, in locum & stationem tuam reuertaris, etiam officio tuo, vt hactenus a te fit, deinceps quoque perfuncturus diligenter. Anneb. V. Id. Mart. LXXV.

LXXXIV. EIDEM.

Hubertus Niphum singularibus verbis a generis dignitate, professione, fama, moderatione ingenii, doctrina, etate; & in primis res, quas diuendendas exposuerat Augusto Epist. LXVII. l. c. commendat: sed Augustus hic renuit omnia.

QVæ de Marco Antonio Nipho, medico Italo & codicibus auctorum quorundam Græcorum, manuscriptis ac statuis quibusdam & nummis veterum Viennæ venalibus ad nos scripsisti; ea ex

re potuerit. Hanc autem eandem esse epistolam ex qua negatiuam deducit, exinde claram est, quia dies Non. Febr. quo illæ scriptæ sunt, hic allegatur.

ea ex litteris tuis benigne cognouiimus.
 Cumque in scholis ditioni nostræ subiectis Italorum opera hoc tempore non desideretur, & nos iam antea antiquitatis monumentis abundemus: existimauimus, tibi hoc significandum esse, vt intelligeres, nobis certas ob caussas in animo non esse M. A. Niphi operas conducere, vel ab eo, qui codices Græcos ac numismata & statuas veterum Viennæ venales habet, aliquid redimere. Anneb. VI. Cal. April.

LXXVI.

LXXXV. Fidelissimo nostro dilecto HVBERTO LANGVETO hoc tempore
 Pragæ commoranti.

*Causa religionis ciuium Tirnauiensium
 Langueto traditur, vt eam apud Imperatorem optima ratione conficiat.*

IN negotio communitatís Tirnauiensis, quod tuis nobis litteris commendasti, scripsimus ad Imperatorem, & diligen-

N 2 ter

Responsio legatur in Lud. Epistolis CXI. vbi inter alia dicit: Quamuis metuam ne parum profuerit Tirnauiensibus V. Cels. intercessio, ita zamen perplexe mibi respondit Dom. Pro-Cancellarius, vt non iudicauerim illud alterum proponendum.

ter rogauiimus vt Maiestas illius ciues Tirnauenses in studio & professione Euangelicæ veritatis , non modo quietos esse patiatur ; sed vt eorum , qui se ciuibus opponunt , & Augustanæ Confessionis doctrinam impediunt , profanos conatus reprimat . Cum autem legati Tirnauenses nobis significant , rationibus eorum nos optime consulturos esse : si per clientem aliquem nostrum & hominem industrium litteras has nostras Domino Imperatori reddi , & apud eos , quorum consilio Imperator in caussa hac vtetur , negotium hoc promoueri curauerimus : tu nobis ad hanc rem recte conficiendam maxime omnium idoneus visus es . Quamobrem a te benigne postulamus , vt litteras nostras pro Tirnauensibus scriptas , quarum tibi exemplum his adiunctum transmittimus ; opportune reddas , & apud eos , quorum in hoc negotio recte expediendi auctoritatem valere plurimum putas , quod tuo arbitrio totum & iudicio benigne permittimus , commode instes & moneas , quo & mandatum pro ciuium religiosa libertate contra collegium canonicorum Stirganiense , & alios quoscunque turbatores

tores piorum ciuium impetremus, & ab Imperatore responsum accipiamus eiusmodi, ut & nostram intercessionem apud Maiestatem suam valuisse intelligamus, & communitas Tirnauiensis sentiat, tam nostram commendationem, quam tuam diligentiam & industriam sibi profuisse, vale. Dresdæ N.N.

LXXXVI. Serenissimo Principi Domino
PHILIPPO Regi Hispaniarum.

Ne forte putemus, Augustum cum Rege Hispan. nullum habuisse litterarum commercium, hæc Epistola tanquam tessera amicitia legatur, & consideretur, quam sollicitus Elector de Regis Hispani dignitate, existimatio ne, animique tranquillitate fuerit.

Serenissime Rex, salutem & operam nostram in omni officiorum genere promptissimam. Domine cognate noster Chariss. Cum nobis orator S. V. Dominus Ioannes Franciscus à Mendoza significasset, se post divi Maximiliani Imperatoris quondam Romani piæ memorie obitum ex aula Augusta in Hispaniam redditum esse: illum sine literis nostris ad S. V. dimittere noluimus, non quod

hoc tempore haberemus scriptione magnopere dignum: ac potius, siquid forte in his partibus esset, quod S. V. R. quis scire debere existimet, id omne ex oratoris sui sermonibus multo commodius, quam ex oratione litterarum nostrarum cognoscere posset: sed ut testaremur nostram erga S. V. R. obseruantiam perpetuam, ac rogaremus amanter, ut S. V. R. pristinam suam erga nos benevolentiam, etiam deinceps integrum conseruare velit; sibi que certo persuadeat, nos in eorum Principum numero esse, qui S. V. R. honoris & existimationis studiosissimi sunt, & in primis cupiunt omnia ad amplificationem & dignitatem S. V. R. pertinentia salua & in tuto esse. Atque hoc etiam postremum, ut velut appendicem his litteris nostris subiiceremus, permoti sumus S. V. R. oratoris epistola ad nos missa, qua nobis negotium quoddam ex Germania discessus commendat, cuius gratia S. V. hoc tempore nonnihil esse sollicitum innuit, quam tamen optamus, hac cura leuata commodissime beneualeat S. V. R. & nos studiosissimos sibi commendatos habeat.

Ex ar-

Ex arce nostra Anneburgensi V. Cal. No-
uembr. LXXVI.

LXXXVII. Illustri Domino sincere nobis
dilecto IOANNI FRANCISCO HVRTA-
DO a MENDOZA , Marchioni Almazani,
Comiti montis acuti Sereniss. Hispa-
niarum Regis oratori.

*Gratulatur Augustus Mendoza de itinere
in Hispaniam suscipiendo, & litteras iamiam
expositas Regi offerendas mittit.*

Intelleximus ex litteris tuis, te munus
legationis, quo hactenus S. R. Hispa-
niarum nomine in aula Augusta splen-
dide functus es, depositurum, & ex Ger-
mania nostra in patriam redditurum esse.
Atque hoc iter tibi tuisque omnibus cu-
pimus feliciter euenire. Cumque S. Hisp.
Regis benevolentiam erga nos perpetuam
esse velimus, litteras has adiunctas ad S.
eius Regiam dedimus, ex quibus studium
nostrum & obseruantiam perspiciet, ac
intelligere poterit. Si quidem a S.R. eius
certiores reddemur, qui & quantum in
negotio illo, quod S. eius nomine nobis
commendas, rationibus Regiis prodesse
possimus, expectationi S. eius & officio

N 4 optimi

optimi Principis non defuturos esse. Bene vale, & tibi persuade, nos te fauore singulari prosequi. Ex arce nostra Anneburg. V. Cal. Nouembris. LXXVI.

LXXXVIII. DOMINO SEBASTIANO
LVSITANIAE REGI.

Cramerus iter in Indiam parabat, sed per clericorum inquisitiones & examina valde impeditabatur, pro hoc itaque intercedit Augustus grauissimis quidem argumentis & rationibus vsus.

CVM cliens noster Hieronymus Cramerus, qui has S. V. R. litteras reddet, nobis significasset, se incensum orbis perlustrandi cupiditate in Indiam profecturum esse, hoc illius studium nos commouit, vt de commeatu & viatico ipsi benigne prospiceremus, & quasdam merces, quarum illic copia est, ad priuatos nostros vsus comparare illum iuberemus. Cum his igitur mandatis nostris Cramerus hinc abiit, & in Lusitaniam peruenit; inde litteras ad nos misit, quibus ostendit, nauigationem Indicam valde impeditam esse, per religiosorum querundam scrupulosam seueritatem, qui non tantum

tantum singulas naues excutiant ; sed & in negotiatorum conscientias suo quodam more inquirant ; nec quenquam penetrare, ac iter institutum tenere permittant , nisi , qui ad nutum & voluntatem illorum factus & probatus esse videatur. Id autem cum sit eiusmodi , ut non omnes æque viatores , qui ex diuersissimis mundi partibus magno numero & multiplici varietate in Lusitania confluunt , eadem per omnia sentire ; & his , qui vias obsident , pro lubitu satisfacere possint : neque is sit cliens noster , qui illis in locis quicquam in religionis professione nauare aut possit , aut velit : existimauimus sane , si hac de re S. V. R. litteris nostris certior fieret ; illam pro insigni prudenteria & æquitate sua non passuram , iter ad ditiones sibi subiectas præcludi iis , qui prouincias illas adeunt , non vt dogmata sua illic venditent , sed vt argento & auro , quod secum ex remotissimis locis deferrunt , merces commutent , cuiuis illic ad emendum publice expositas & venales. Hæc cum ita sint a S. V. R. maiorem in modum officiose petimus , vt clientem & mandatarium hunc nostrum clementi pa-

N 5 troci-

trocinio tueatur, iustitia & æquitate sua protegat, & vt iter, quod voluntate nostra instituit, commode confidere posset, imperio & præsidio suo adiuuet, & in tota hac profectione euntem, & redeuntem auctoritate regia tutum præstet: & ab illorum vexatione & molestiis vindicet, qui communem omnibus aerem certo tantum hominum generi liberum permitunt: & orbis terrarum ad vniuersorum mortalium usum, a Deo optimo maximo conditi, eam partem, quam auorum nostrorum memoria Europæis incolis mirifica & summa Lusitanorum Regum virtus & magnanimitas, cum immortali gloria aperuit, claudere, & beneficium toti Christianitati a S. V. R. liberaliter tributum nostris hominibus pro suo arbitrio abrogare & adimere conantur. Quod, quam iniquum ac barbarum, & ab omni humanitatis sensu prorsus alienum sit, arbitramur, S. V. R. pro innata clementia & æquitate sua facile perspicere, quæ, si impetramus, vt clienti nostro cursus in Indiam expeditus & reditus inde securus pateat; profecto iucundissimum id nobis erit, & S. V. R. gratissimum sibi Principem deuin-

deuinciet; & mandatarium nostrum hominem simplicem, innoxium, & nobis probatum protectione sua non fuisse indignum, cognoscet. Pro quo nos etiam hoc amplius spondemus, nihil ab ipso in toto hoc itinere, ad cuiusquam perniciem aut iniuriam commissurum iri, nosque huius beneficii memoriam nullo deinceps tempore deposituros, ac potius gratitudinem animi nostri omnibus, quibus maxime poterimus, rebus S. V. R. ita comprobaturos esse, ut ex obseruantia & studio erga se nostro magnam voluptatem capiat. Bene valeat V. S. R. & nos singulari benevolentia sua, qua Princeps Lusitanici nominis amantissimos dignari solet, perpetuo complectatur. Ex arce nostra Anneburg. IV. Cal. Maii LXXVII.

LXXXIX. Reuerendissimo, Illustrissimo Principi amico/ nobis plurimum dilecto Domino GEORGIO DVCI IN OLICA,
& Niescivvis design. & electo Episcopo Vilnensi.

*Hec epistola est commendatio accurata Ge.
Rauchberi.*

Ope-

Operam & benevolentiam nostram Reuerendissime, Illustrissime Princeps, D. V. adscribimus. Etsi Georgium Raucherum hinc ad D. V. proficisci entem nostra commendatione minime egere existimauimus; propterea, quod ex indicatione ipsius certiores eramus reddit i, qua clementia D. V. quaque liberalitate exga ipsum iam antea vsa esset: unde facile poteramus perspicere, ipsum propter fidelitatem, obsequium & assiduitatem suam D. V. satis esse probatam: tamen cum ad nos pertinere arbitremur, si quid benigne fit subditis nostris a Dil. V. illum sine nostris redire litteris noluimus. Fuit pater Georgii huius nobis charus: cumque ob singularem in rebus agendis solertiam & industriam sumtum illi magistratum in ciuitate nostra Lipsiensi mandassemus, ita illum gesit, ut nobis satisficeret, & negotia sibi commissa grauiter & ex animi nostri sententia administraret, ac conficeret. Quamobrem non vna causa est, cur huic filio eius benigne cupiamus. Et quanquam nobis dubium non est, quin D. V. non tam nostra, quam constantiae suæ caussa mansura sit in eadem ista

ista erga Georgium Raucherum liberalitate, de qua chirographo dato iam antea ipsi cautum esse voluit: tamen gratissimum nobis fuerit, si ad ea, quibus D.V. sine ullius commendatione iuueni huic commodaret, aliquem etiam cumulum attulisse has litteras nostras cognouerimus. Rogamus itaque vehementer etiam atque etiam, ut D.V. Georgium Raucherum porro quoque in fidem & clientelam suam recipiat, patrocinio clementi tegat ac tueatur, & ea, quæ illi liberalissime promisit, ad exitum augeri & cumulari velit; sibique persuadeat, se apud Georgium præclare hoc beneficium posituram: & nos nullam occasionem prætermisuros esse, quæ nobis ad gratificandum D.V. oblata fuerit: quam bene valere & felici rerum omnium successu gaudere cupimus. Lips. VI. Id. Maii LXXVII.

XC. Illustri Principi amico nobis plurimum dilecto Domino ALPHONSO CARETO Principi & Marchioni
Finalii.

Augustus confirmat Principem in proposito ius suum tuendi: idque etiam ipse per legatos

*gatos ad Imperatorem missos promouere
studet.*

SAlutem & benevolentiam nostram;
Illustriss. Princeps, amice plurimum
dilecte. Consiliarii nostri ad nos re-
tulerunt omnia, quæ D. V. nuper Budissi-
ni post nostrum inde discessum de ditione
& oppido Finalii illis coram prolixe ex-
posuit: ex quibus intelleximus D. V. non
minus de iure suo tuendo, quam de pace
& quiete communi conseruanda laborare;
quarum utramque cum æquitate niti &
ad Sacri Rom. Imp. dignitatem pertinere
arbitremur: facile equidem petitioni D.
V. annuimus, ac legato nostro Ioanni Em-
bdeno iureconsulto mandauimus, ut æqui-
tatem D. V. Dom. Imperatori & Cæsareæ
eius Maiestati, consiliariis præcipuis osten-
dat, ac nostris verbis D. V. caußam com-
mendet; ut & Sacri Romani Imperii au-
toritas salua & D. V. iura inuiolata & in-
tegra permaneant. Beneualeat D. V. si-
bique persuadeat, nos illi propter inte-
gritatem & fidem, quam Cæsareæ Maie-
stati & Sacro Rom. Imperio hactenus tam
constanter probauit, optime cupere. Ex
arce nostra Anneb. XII. Cal. Iun. LXXVII.

XCI.

XCI. AD FRANCISCVM HVRTAT.
a MENDOZA.

*Augustus profitetur, se litteras Hispaniae
Regis de Electione Imperatoris Rom. Germ.
accepisse: & vult, vt alia vicissim Regi Hi-
spanie tradantur: apprecatur deinceps Co-
miti a Salues sanitatem.*

Litteras Sereniss. & Potentiss. Hispa-
niarum Regis, Domini & cognati
nostrī obseruandissimi, de electio-
ne Sacræ Cæsareæ Romanorum Maiestatis
humanissime ad nos scriptas, & per te
Praga huc transmissas accepimus: quæ
nobis ob singularem benevolentię regiæ
significationem gratissimæ fuerunt. Quam-
obrem S. R. eius officiose rescripsimus: ac
pro hac erga sacri Imperii dignitatem &
nos egregio animo gratias studiose egi-
mus, & nostrum erga S. R. studium & ob-
seruantiam declarauimus. Has itaque lit-
teras nostras, vt ad S. eius R. perferrī cu-
res, a te benigne cupimus. Dominum
Comitem a Salues S. eius R. oratorem ad-
uersa valetudine vti, non libenter intel-
leximus, & cum illi benigne cupiamus,
vt quam primum conualescat, & recte
habe-

habeat, optamus. Tibi autem persuasum esse volumus, nos te benevolentia singulari complecti. Datum ex arce nostra Stolp. Prid. Cal. Iun. LXXVII.

XCII. Clarissimo Viro singulariter nobis dilecto Dom. IOANNI STVRMIO Re-
ctori Academiæ Argentinensis.

*Peiferus nomine Augusti Sturmio pro of-
ficio praefito gratias agit; eum laudibus
baud immeritis onerat, & institutum eius
probat, inque hoc illum confirmat: tandem
petit, ut nouas quasdam res perscribat.*

Quantum clientis nostri Ioannis Loe-
seri filio commendatio nostrarum
litterarum profuerit, quodque
ruum Clarissime Vir, erga patriam egre-
gium sit studium, ex epistola, quam ad
nos elegantissime & prudenter scriptam
misisti, plane perspeximus. Vtrumque
nobis opinione tua gratius est, & hoc
postremum miseris temporibus his, qui-
bus maxime in republica Christiana Tur-
cica metus versatur, etiam iucundum.
Quamuis enim professio tua eiusmodi sit,
ut plus operæ ac studii in domestica for-
titudine, quam in labore militari posuis-
se vi-

se videaris : tamen illi ipsi magni præfecti & tribuni militum, qui bellicis laudibus se abundare putant, neque ullos alios, quam se de rebus militaribus consuli æquo animo ferunt, mutui etiam & repugnantes fateri coguntur, plus in discernendi belli ratione & recte atque cautæ administrandi consilio, quam in decertandi fortitudine situm esse, magisque in hac Martis alea animi, quam corporis viribus profici. Amamus igitur prudentiam tuam, quæ & recta est, & te egregium ac patriæ amantem esse ciuem ostendit. Atque ut illi in Cæsar's sententiam iussi dicere, sæpe aut commodi sui rationem ducunt, aut temeritatem errant, aut natura minus prouident: ita non plane dubitamus, quin tua ratio in toto genere & prudens & grauis id experietur. Cum aliter fieri omnino non possit, quam ut tu, homo peritissimus rerum & exemplorum; qui non modo horum exemplorum, sed omnis vetustatis actiones ciuiles & militares, consilia & euentus, memoria & scientia comprehendisti accuratissime sis elaboratus aliquid, quod & patriæ satisfaciat, & dignum sit nomine & ma-

O

turo

turo iam atque limato iudicio tuo. Quam obrem egregium animum tuum, quem nobis hac in parte litteris tuis declarasti, vehementer probamus; & benigne vehementer etiam atque etiam te hortamur, ut in tuo præcepto permaneas, & ea, quæ significas te instituta habere, perficias. Magni nobis erunt considerationes tuæ, quas ex commentariis tuis cognosceremus libenter & cupide: quod omnino nobis persuasum sit, et si nunc omnia reipubl. membra christianæ quasi fracta & debilitata fatiscunt; tamen in hac disputatione, quam de bello contra omnium immanissimum & potentissimum tyrannum suscipiendo, & a quo omnis spes firmæ ac tutæ pacis exclusa est, instituto, rationes eiusmodi a te collectas esse, quæ nos vetent, patriæ penitus diffidere. Bene vale. Dresdæ Prid. Non. Decembr. LXXVII.

Cum sciamus, ad te si quid noui est, ex variis locis prescribi solere: gratissimum nobis feceris, si ea, quæ non indigna fide, aut vero saltem similia existimaueris, ad nos perferri curabis.

XCIII. Reuerendo & Illustri Principi cognato nostro charissimo Domino HENRICO IVLIO, postulato Episcopo Halberstadiensi, Duci Brunsvicensi & Luneburgensi.

Augustus laudat varias Henrici Iulii virtutes & optimos conatus: in primis studium linguarum commendat, & de fauore suo. itemque auxilio eum facit certiorem.

Libentissime legimus litteras D. V. Reuerende & Illustris Princeps, cognate charissime; quibus facile & grati animi memoria & excellens D. V. ingenium perspici possit: quorum alterum facit, ut D. V. candorem complectemur: alterum, ut de industria eius speremus optimè. Fieri itaque aliter non potest, cum iam antea propter paternam necessitudinem valde faueremus D. V. commodis, quam ut ad nostram gratificandi voluntatem magnus cumulus accederet. Quamobrem quod D. V. a nobis petiit, & sponte nostra libenter & ideo etiam faciemus cupidius, quod ex litteris missis intelligemus, D. V. rectum & virtutis & gloriae cursum tenere; seque iis ornamentis mu-

O 2 nire,

nire , quibus personæ eius , quam gerit ,
& decus & dignitatem , cum laude sua su-
stinere possit. Et quamuis in vniuersum
omnes viros Principes , nihil æque deceat ,
quam vt Scientia linguarum , & artium pul-
cherrimarum cognitione , plebe & populo
præstent : quod iis , quibus non ex fortu-
na , sed ex virtute fidei munera publico-
rum procuratio committitur , necessaria
est : vt varia & multiplici doctrina instru-
cti , ad hominum vtilitatem suam pru-
dentiam intelligentiamque potissimum
conferre , ac in tota vita humanitatem ,
pietatem & constantiam præstare ; in ad-
ministratione reipublicæ autem iustitia
officiis recte fungi possint. In quam cu-
ram D. V. cum vltro incumbere , & ad vir-
tutem , quæ familiæ splendori etiam glo-
riam adiicit , natura & studio suo ferri
animaduertamus : nihil equidem necesse
esse arbitramur , hortari D. V. pluribus:
monere tantum libet , vt sibi persuadeat
in ipsa , non modo Dioecesi , cui præstet ,
sed toti patriæ spem maximam esse : &
nos qui tam propinquitate , quam opinio-
ne virtutis D. V. huc impellimur , hone-
stis eius conatibus nunquam defuturos ,

sive

sive gratia apud Dominum Imperatorem
sive ceteris rebus posse aliquid existime-
mur, quod commode & utile sit D. V.
quam prospera vti valetudine, & in cultu
virtutis & honestarum disciplinarum, ma-
iores indies progressus facere cupimus.
Dresdæ Cal. Iun. LXXVIII.

XCIV. HVBERTO LANGVETO.

*Consilium Casimiri de expeditione in Bel-
gium iam initum minus placet Augusto.
Quod vero Languetus Coloniam se conferre
constituerit, placet.*

Cuiusmodi cum Principe Casimiro
de instituta expeditione in Belgium
sermones N. habueris; quem diem
profectioni D. V. eius dixerit, & quas iti-
neris faciendi rationes inierit; intellexi-
mus ex litteris tuis Francofurti ad Moe-
num scriptis. Et quamuis cuperemus,
nihil ab ipso quoque cum periculo patriæ
tentari ac fieri: ac D. eius a periculis
conatibus, si re adhuc integra nobis di-
cenda

O 3

cenda

*Vt hæc epistola plenius intelligatur, possunt euol-
ui Langueti Epistolæ, & hic quidem numero
144.*

cenda fuisset sententia, paterne dehortari potius quam facere aliquid voluissemus, vnde existimari possit, nobis improbantibus grauissimum negotium susceptum esse: tamen cum inconsulis nobis ab initio peracta fuerint omnia, nullam equidem quod iam agitur, mutandi facultatem nobis relictam esse videmus. Faxit Deus optimus maximus, ut pernicioſiſſimo hoc bello extincto, pia & ſalutaris pax tandem coeat. Quod e Francofurto Coloniam migrare conſtitueris, id nobis per placet, & mandauimus praefecto ærarii nostri, ut rationes ineat, quibus tuæ ad nos commode perferantur inde litteræ. Tu autem gratum nobis feceris, ſi & ſæpe & ſemper & diligenter ad nos de iis, quæ illic acciderint, perscripferis. Vale Anneb. Id. Iun. Anno LXXVIII.

XCV. Sereniffimi Hispaniarum Regis Cœfiliario & oratori in aula Imperatoria, ordinario Domino IOANNI a BORGIA, Commendatori ordinis Jacobitani.

Hac epifola mentionem facit rerum Belgicarum, quæ ad Auguſt. deferebantur.

Non

Non tantum ex Serenissimi Hispaniarum Regis & tuis adiunctis litteris, sed ex sermonibus quoque mandatarii tui Petri Lopez, regii ærarii in Duca-tu Mediolanensi præfeti, qui & epistolas sibi traditas nobis officiose reddidit, & ea, quæ a te illi commissa fuere, diligenter & sedulo perfecit, intelleximus, quis hoc tempore rerum Belgicarum status, quæ S. R. voluntas, & tuum hac in parte sit stu-dium. Cumque non semel iam antea & legatis ad nos missis coram & per litteras nostram erga S. R. obseruantiam & de to-to negotio hoc sententiam a fidelissimo, & S. R. studiosissimo animo profectam declarauerimus: haud arbitrati sumus pluri-bus verbis hæc eadem reiteranda esse. Neque dubitamus, Sereniss. Hispaniarum Regem, tum ex litteris nostris ad S. eius scriptis, tum ex reliquis omnibus facile deprehensuram esse, nos S. eius & toti Austriacæ familie addictissimos esse. Be-ne vale. Dresdæ Prid. Cal. Iul. Anno LXXVIII.

XCVI. Domino ALPHONSO CARETTO
Principi & Marchioni Finalii.

*Cum capssa Principis Finalii nimis lente,
& fastidiose gereretur; Augustus eandem
rursus apud Cæsarem iuuare laborat.*

SAlutem & benevolentiam nostram,
Illustris Princeps, amice plurimum
dilecte. Ex litteris ad nos Prid. Ca-
lend. Ianuar. missis intelleximus, Domi-
num Imperatorem ob cessationem Comi-
tis Archensis & Petri Strasoldi, quibus
Cæsarea Maiestas negotium Finaliense
expediendum commiserat, alium Fina-
lium versus commisariorum destinare
statuisse: ac in bona spe fuimus, totam
hanc rem ex sententia D. V. iamdudum
confectam fuisse. Quod equidem pro
singulari erga D. V. propensione nostra
valde cupiebamus: sed cum hanc rem adhuc
& quorundam iniquorum hominum stu-
diis & artibus hactenus expeditam fuisse
ex litteris D. V. proximis agnouissemus:
equidem quantum in nobis esset: facien-
dum putauimus, vt sentiret D. V. gratifi-
candi ipsi voluntatem nobis non deesse.

Quam-

Quamobrem nobis fideli dilecto Domino Bernhardo Comiti Hardechio litteris, quæ his adiunctæ sunt, mandauimus; cum vt S. C. M. totam caussam hanc nostris verbis submisso studio commendet, tum vero consiliarios Imperatorios diligenter de omnibus iis communefaciat, quæ & ex S. C. M. & Imperii Romani dignitate & ex re D. V. esse existimauerit. Bene valeat D. V. Crotendorfii XV. Cal. Sept. Anno LXXVIII.

XCVII. Magnifico sincere nobis dilecto,
Domino STANISLAO SARDIVOGIO,
Regni Poloniae Referendario.

*Vt Stanislaum Sardiogium a moerore
reuocaret Aug. has mittit litteras.*

Non primum iam ex litteris Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Genesnensis, & Illustrissimi Principis Domini Georgii Marchionis Brandenburgensis ad nos in tua caussa scriptis bene de te sentire coepimus: sed iam antea quoque virtus & integritas tua nobis commendatissima fuit. Quamobrem cum turbulentissimis his temporibus patriæ tuæ fidem & dexteritatem consilii & principibus vi-

O s ris

ris præclarum studium, ac in vniuersum omnibus præcipuam constantiam probaueris: haud æquum erat, te in his molestiis esse; quibus cum te hactenus conflicitari ex litteris tuis perinuiti intelleximus. Quid autem & quantum tua cauſa velimus, ex epistola nostra, cuius tibi exemplum mittimus, cognosci potest, in qua Serenissimum Polonorum Regem de iis monuimus, quæ rationibus tuis conduce-re sumus arbitrati, & non aliena esse du-ximus a dignitate: ac plane in hanc opinione discessimus, vt existimaremus, Regem in te non modo duriorem non-futurum, sed & curaturum esse, vt dignitatem & fortunas tuas omnes obtineas. Quamobrem fac animo magno fortique-sis, vt semper fuisti: tibique persuadeas nos tibi benignissime cupere. Vale Crot-tendorffii X. Calend. Septembr. Anno LXXVIII.

XCVIII. DVCI FLORENTIAE.

Augustus luget mortem coniugis Ducis Flo-rentiae, eumque solatur.

Est ita profecto, vt scribit D. V. vt pro-mutua amicitia & necessitudine no-stra

stra omnia cum D. V. nobis communia es-
se existimemus. Posteaquam enim ex lit-
teris D. V. & sermonibus Domini Angli
Biffoli equitis , de obitu Serenissimæ
quondam Principis D. V. charissimæ con-
iugis piæ memoriae nobis renuntiatum fuit:
sensimus equidem ingenti nos molestia-
adfici, & in societatem ægritudinis vi no-
stri erga D. V. amoris rapi. Quis enim
tam tristem amicissimi Principis casum
non ex animo doleat? qui amantissimam
marito coniugem, summo loco & ex Im-
peratoria familia natam, insigni fide, ca-
stitate, obsequio & obseruantia erga tori
consortem, liberalitate & benignitate
erga subditos, pietate erga omnes , & vni-
uersis denique virtutibus, quæ quidem in
Principe foemina elucere possunt, orna-
tam & celebrem eripuit. Ut autem re-
cordatio hæc nos valde commouet, pla-
neque pari cum D.V. molestia adficit: ita
ex aduerso conditionis humanæ sors, &
Christianæ religionis professio nos amoe-
rore & luctu ad veras consolationes reuo-
cat, & considerare potius iubet, præcla-
re cum mortalibus agi, qui ex tot & tan-
tis orbe terrarum iam pene crepante, &
ad in-

ad interitum prono incommodis & malis ad æternam beatitudinem euocati, mortem cum sempiterna vita, & curas atque anxietates innumeræ cum æterna lœtitia & securitate commutant. Sicut is, qui propinquorum suorum obitum immoderate luget, videri potest magis inuidere ipsis summum bonum, quam officium pii amici præstare: præsertim cum certum exploratumque sit, nihil tale sine nutu & paterno Diuini Numinis consilio euenire, cui refragari, & iniustis lamentis coelo obstrepere impietas est: a qua & D. V. & nos alienissimos esse decet. Quamobrem D. V. pro egregia erga ipsam benevolentia nostra officiose rogamus, & monemus amanter, ut eadem consideret, seque cogitatione hac confirmet, quod certo certius futurum sit id tempus, quo liberos, coniuges, & propinquos præmissos iterum conspecturi, & suauissima coniunctione sermonum & sempiternæ consuetudinis fruituri sumus. Cuius rei certissimum expromissorem habemus filium Dei, cuius omnipotenti protectioni D. V. cum tota familia sua commendamus, eidemque omnia prolixè pollicemur, quæ ab a-

ab amantissimo D. V. Principe expectari
par est. Dresdæ V. Cal. Sept. Ao. LXXVIII.

XCIX. Illustri Principi, amico nobis plu-
rimum dilecto, Domino VIDANO Char-
tensi Chauenouy & Fertæ Do-
mino.

*Mittitur ad hunc principem Simonius Me-
dicina Profess. Lips. ut ab illo varia ad ar-
cana naturæ spectantia, quibus Principem
abundare fama erat, cognosceret.*

Gratissima nobis fuerunt Illustris
Princeps, ea, quæ de egregia D. V.
erga nos voluntate & studio ad nos
Simon Simonius Lucensis, cuius nos ope-
ra pro medico & professore publico in A-
cademia nostra Lipsica vtimur ex litteris
D. V. retulit. Quamobrem cum antehac
D. V. ob præclaram virtutem & eruditio-
nis famam, diligenteremus, iam etiam ama-
re cupimus: adeoque ipsum Simonium
ad D. V. ablegauimus, cum mandatis, quæ
nostris verbis ad D. V. perferret. Iliigi-
tur vt D. V. faciles aditus & aures præ-
beat, fidemque non grauate adhibeat,
amanter etiam atque etiam rogamus.
Amplectimur artes vitæ hominum utiles,
& in

& in his præcipue eas, quæ summo inge-
nio & acri studio, ex naturæ arcanis eru-
tæ atque indagatæ aliquid non vulgare
præ se ferunt: harum autem scientia cum
D. V. Dei præpotentis benignitate abun-
det; faciet profecto rem dignam huma-
nitatem & bonitatem sua, si nobis præclare
aliquid communicauerit: nec dubitet, se
Principi memori gratificari. Bene valeat
D. V. Dresdæ Prid. Id. Octobris Anno
LXXVIII.

C. Domino ALPHONSO CARETTO
Principi & Marchioni Finalii.

Continuatur Principis caufsa.

SAlutem & benevolentiam nostram. Il-
lustrissime Princeps, amice plurimum
dilecte. Iam antea legatus noster
Ioannes Embdanus iureconsultus nobis si-
gnificauit, se ex mandato nostro D. V.
cauffam in aula Imperatoria diligenter e-
gisse; ac tunc quidem comperisse, quod
Dominus Imperator Vinciguerræ Archen-
si, & Domino Petro Straffoldo in manda-
tis dederit; vti de toto hoc negotio dis-
quirerent sedulo, quo rebus exploratis
omnibus deinceps Cæs. eius Maiestas de-
peti-

petitione D. V. constituere posset id quod
iuris & æquitatis ratio postulet: ita ha-
ctenus acquiescendum nobis existimauim-
us, donec Cæs. Maiest. auctoritatem
suam interponeret. Iam vero, cum con-
siliarius noster intimus Damianus a Sebot-
tendorf nobis litteras D. V. reddiderit,
& pariter exposuerit ea, de quibus D. V.
nos commonefaciendos putauit: haud sa-
ne D. V. deesse voluimus. Scripsimus igit-
tur ad Dominum Imperarorem & cauissam
hanc Maiest. eius submisso studio com-
mendauimus diligenter, quemadmodum
D. V. ex litterarum nostrarum exemplo
huic epistolæ adjuncto cognoscet. Era-
mus etiam Hardeccio mandaturi, ut hæc
eadem in aula Imperatoria coram ageret,
nisi plane existimassemus, illum iam in re-
ditu esse, neque tamdiu in Austria com-
moraturum, donec nostra eo mandata per-
ferantur. Speramus autem, cum Domi-
nus Imperator iam antea liberalissime
Promiserit, sibi negotium hoc curæ futu-
rum: Cæs. eius Maiest. litterarum inter-
cessionem & D. V. preces benigne admis-
suram esse. Bene valeat D. V. Dresd. Prid.
Id. Octob. Ao. LXXVIII.

CIII.

CI. DVCI Ferrariensi Domino AL-
PHONSO.

*Augustus gratias habet Duci Ferrariensi,
quod ornamenta parietum, vulgo peripeta-
smata dicta, transmittere voluerit, omnes-
que iterum Saxoniae delicias liberalissime
offert.*

Illustrissime Princeps, cognate charis-
sime. Si non iam antea de egregia-
nos voluntate D. V. & singulari grati-
ficandi nobis studio exploratum habere-
mus, vel inde certo statuere possemus,
quanti D. V. nos faceret: quod simul ac
ex Gualengi sermonibus intellectus, nobis
peripetasmata Italica placere, statim man-
darit, illa a præstantissimis magistris con-
fici, sic, ut vela hæc coriacea elegantissi-
ma & arte exquisita, ad ornamenta pa-
rietur facta, ad nos perferrentur. Pro
qua insigni erga nos benevolentia D. V.
amanter & officiose gratias agimus, no-
stramque eidem operam & studium vicis-
sim ita deferimus, ut nihil sit in subiectis
nobis ditionibus, quod non promptissime
cum D. V. modo gratum illi faciamus,
communicare velimus. Quæ cum ita-
sint,

sint, D. V. certo sibi persuadeat, 'nullam nos vñquam occasionem prætermisuros esse, qua grati animi memoriam declarare possimus D. V. Cui a Deo Opt. Max. valetudinem prosperam, & rerum omnium felicissimos precamur successus. Annewburg. Id. Oct. An. LXXVIII.

CII. DVCI FERRARIENSI.

Reiboldus in vincula publica coniectus erat: bunc autem Augustus intercessione sua a vinculis liberare conatur.

Illustrissime Princeps, Domine & cognate charissime. In supplice his litteris nostris inserto libello significant nobis pater & agnati Ioannis Reiboldi, sicarios quosdam ad hoc pretio conductos, vt ex insidiis Reiboldum interficerent, tum minis, tum periculis intentatis, eum adegisse, vt sui tuendi, & sicarios a maleficio deterrendi gratia Reiboldus sclopetum exornaret, sic tamen, vt ictus inauras abiret, & nulli nocuus foret. Cum igitur Reiboldus ob id commissum in vincula sit coniectus; & huius pater atque agnati præcipuam liberationis captiui in deprecatione litterarum nostrarum spem

P ponant:

ponant: submissæ rogant, ut pro Reiboldo apud D. V. intercedere velimus. Nos autem etsi moniti sumus de iis, quæ in vrbe Ferrariensi constituta sunt contra eos, qui sclopetis abutuntur; neque sane quicquam ab amicis petere solemus, quod aut iuri constituto aduersetur, aut malis hominibus peccandi occasionem præbere possit: tamen cum intelligamus, Reiboldum ab aduersariis in primis prouocatum, & vulneribus tam in facie, quam in læua manu & in pectore illatis male acceptum; deinde etiam sicarios missos, qui Reiboldum variis modis exagitarent: non volui-
mus deesse homini in ditionibus nostris nato, & legitionis D. V. nomine aliquan-
do apud nos functo. Qui si forte rei in-
dignitate & iracundiæ feroce extra legi-
timas metas raptus, aberrauerit non ni-
hil: tamen commiseratione dignus est in
eo, quod a multis laceffitus & male mul-
ctatus, insidias a se vtcunque repellere &
amoliri conatus est. Rogamus igitur aman-
ter, ut D. V. rigorem illum constitutio-
num in eos, qui sclopetis in vrbe Ferra-
riensi rem agunt, promulgatarum æqui-
tate moderari, & Reiboldum libertati pri-
stina,

Rinæ, patri autem longæuo & misere sollicito filium restituere velit. Qua in re si gratificabitur D. V. nos, quibus maxime possumus rebus, id amanter & officiose demereri conabimur. Bene valeat D. V. Ex conuentu Septemuirali Ratisbon. ad Danubium Id. Octob. Ao. LXXVIII.

CIII. AVGVSTVS

Generoso sincere nobis dilecto Domino
FRANCISCO FORRENSI Italo.

Augustus profitetur, se artem callere, qua ex octo argenti vnciis tres auri puri vncia singulis sensis diebus compararentur.

Itteræ tuæ, quas ad nos vigesimo die mensis Octobris scripsisti, nobis VIII. Id. Decemb. demum sunt redditæ, ex quibus tuam erga nos obseruantiam perspeximus. Cumque artes vñibus humanis vtiles, quæ Dei præpotentis beneficio singulari hominum acutorum ingenio & solertia ex naturæ abditis eruuntur, mirifice amemus: fieri non potest, quin nobis studium tuum, quod offers, gratissimum sit. Agimus itaque hoc nomine gratias. Et quia ante id tempus ab industriis hominibus varia experimen-

P a t a d e

ta de transfundenda metallorum substantia nobis exhibita fuerunt, iam eo vsque in hoc genere peruenimus, vt ex octo argenti vnciis auri perfectissimi vncias tres singulis sex diebus comparare possumus: Quare neque arti tuæ diffidimus, neque difficilem esse modum arbitramur: quo inter octiduum duæ auri vnciae ex sedecim argenti semiunciis conficiuntur. Si vero nobis certam & exploratam rationem demonstrare posses, qua ex octo argenti vnciis senis diebus puri auri, quod in ignibus etiam iteratis probum spectetur & integrum, semiunciae duodecim ducerentur: vtique non abs re existimaremus, te ad nos accessere. Interea & animum tuum, quantum quidem ex litteris tuis animaduertere licet, nostri studiosum, ac promptam nobis gratificandi voluntatem benigne complectimur. Data ex arce nostra Anneburgensi III. Id. Decemb. Ao. LXXVIII.

CIV. Reuerendissimo Domino, amic
nobis plurimum dilecto, Domino STA-
NISLAO CAMCOVIO, Episcopo
Vlatislauensi & Cuiouensi.

*Hac epistola commendat ciues quosdam
Sax. qui hæreditatem adire iure debebant.*

REuerendissime Domine, salutem &
operam nostram D. V. adscribimus:
Amice plurimum dilecte. Habuit D.
V. inter ministros suos Paulum Zibece-
rum, qui D. V. per annos plus decem &
octo vestitarii & sartoris operas præstítit.
Huius fratres, Ioannes, Iacobus, Petrus,
Abrahamus & Dauid, subditi nostri signi-
ficauerunt nobis: Paulum ex hac mortali
vita ad æternam beatitudinem avocatum,
sine liberis discessisse. Quamobrem, cum
reliqui cohæredem suum Ioannem Zibe-
cerum amandaturi essent, & communis
suo fratumque nomine hæreditatem de-
functi acquirere, bonorumque possessio-
nem a D. V. petere vellent: suppliciter nos
rogarunt, ut tam fratrem, quem procurato-
rem suum constituissent, quam totam hanc
caussam D. V. commendaremus. Etsi au-
tem nos arbitramur, D. V. pro insigni æ-

P 3 quita-

quitate sua sponte curaturam esse , ne
quam controuersiam legitimi hæredes de-
functi habeant , tamen illis testimonium
litterarum nostrarum deesse noluimus :
quo D. V. certior redderetur , Paulum
Zibecerum , de cuius hæreditate agitur ,
Ioannis , & eorum , quorum ipse nego-
tium procurandum suscepit , vterinum &
consanguineum fratrem fuisse ; neque ul-
los alios parentibus iamdiu defunctis ,
extare , qui lege & consuetudine Paulo
succedere possent ; præter hos ipsos fra-
tres , pro quibus ad D. V. hæc scripsimus .
Hoc igitur tantum amanter rogamus : vt
D. V. negotium istud commodissime ex-
plicet , & tum potestate , quam habet ,
tum auctoritate sua ita expediat , vt sub-
diti nostri ad fratrī sui defuncti bona
quam facillime perueniant . Et vt D. V.
sine vlla hæsitatione faciat , nos litteris
his D. V. cautum esse volumus : Si quis
casus incidat , vt hæreditas in terris ditio-
ni nostræ subiectis obueniat D. V. subdi-
torum cuipiam , nos idem ius in pari cau-
sa dicturos nostramque benevolentiam ita
interposituros esse , vt bona ad D. V. cli-
entes & subditos iure successionis legiti-
me de-

EP. AD VARIOS.

231

me delata, sine aliquo impedimento, & absque omni iniuria eisdem tradantur & commendentur. Quod cum nos ita præstare parati simus, & D. V. idem facere æquissimum sit: haud arbitramur, in re vsque adeo iusta & expedita nobis pluribus verbis vtendum esse, ne forte dubitare videamur de bonitate & æquitate D. V. quam rectissime valere cupimus. Data ex arce nostra Anneburgensi Cal. Ian. Ao. LXXIX.

CV. AVGVSTVS AD DVCEM FLORENTIAE.

En arctissima amicitie testimonia.

Serenissime Princeps, Domine & cognate charissime, de sermonibus clarissimi viri, Domini Renati Coti, consiliarii & legati D. V. meritissimi facile intelligimus, quanti nos D. V. faciat. De quo etsi nunquam dubitauimus; tamen mirifice nos delectarunt cum ea, quæ Dominus Renatus de egregio Dil. erga nos vestræ animo locutus est; tum vero iucundissimum illud nuntium, quod nobis de D. V. laudabili instituto attulit, de quo tamen ideo breuius scribimus, quod

P 4 & pia

& pia vota & singulare nostrum erga D. V. studium Dominum legatum summa fide & dexteritate relaturum esse , non dubitamus :vt iniuste & inciuiliter facere videri possimus , si verbosiore de his epistola obstreperemus D. V. quam perpetuo recte valere , & nos vt semper fecit , etiam porro amare cupimus. Torgauiae prid. Id. Februarii Ao. LXXIX.

CVI. ANNA Dei gratia ex regia Danorum stirpe prognata , Ducissa & Electrix Saxon. Landgrauia Thuringiae, Marchionissa Misniae , & Burgrauia Magdeburgensis.

Anna Augusti coniux letatur de Ducis Florentiae amore & benevolentia.

Serenissime Princeps ac Domine charissime: Gratissima nobis fuit honorifica illa litterarum D. V. compellatio, ex qua singulare erga Dil. Dominum maritum nostrum & nos studium perspeximus , quod etiam D. V. legatus , nobilis & clarissimus vir, Dominus Renatus Cottus , Domino & marito nostro amantissimo , oratione sua coram pluribus declarauit. Quamobrem D. V. pro egregio hoc suo

suo animo gratias agimus, &, vt bene-
uolentiam hanc erga dilectissimum Do-
minum maritum nostrum & nos perpe-
tuo conseruet, diligenter rogamus, ac a
nobis vicissim omnia honoris officia expe-
ctet. Bene valeat D. V. quam potentissi-
mo Diuinæ clementiæ patrocinio com-
mendamus. Torgauia. Prid. Id. Februarii
Ao. LXXIX.

CVII. DVCI FLORENTIAE.

CHRISTIANVS DEI GRATIA DVX
SAX. ET AVGVSTI FILIVS.

Idem facit Christianus.

AMOR EXCELSITATIS erga nos V. ex omni-
bus se partibus ostendit, Sereniss.
Princeps, Domine & cognate ob-
seruantissime, cum in litteris humanissi-
me ad nos scriptis, tum in iis mandatis,
quæ amplissimo viro, Domino Renato Co-
to, consiliario & legato suo dignissimo ad
nos perferenda dedit. Quamobrem non
vna tantum cauſsa est, cur gratias Excel-
litati V. agamus reuerenter & officiose.
Cumque & monitis paternis, & nostra-
sponte magnos Principes, quorum virtu-
tis fama illustris est, suspiciamus, ac re-

P § uereca-

ueremur: fieri profecto aliter non potest, quam ut Excelsitatem V. per orbem terrarum gloria & laude celebrem omnis obseruantiae studio colamus & amplectamur: idque eo etiam magis, quod intelligamus, ab Illustrissimo parente nostro vehementer non tantum diligi, sed amari etiam Excelsit. V. a qua ut sua benevolentia etiam nos deinceps quoque perpetuo complectatur, tanto petimus studio, ut maiore non possimus. Quod reliquum est, Excelsit. V. rectissime valere, & successu rerum prosperrimo vti, vehementer cupimus. Torgauiae Prid. Id. Febr. Ao. LXXIX. quem recens inceptum cum milie aliis sequentibus Excellentiae V. felicissime exire, omnibus optamus votis.

CVIII. Illustrissimo Principi, amico nobis plurimum dilecto, Domino CAROLO ARROGONIO Principi Castelvetranno, Duci Terranouensi, Marchioni Auolæ, Comiti de Burgato, Magno in Regno Siciliæ Contestabili & Almiranti.

Augustus dicit, se litteras Caroli Arragon. accepisse, quibus buius in Belgum iter ad

com-

*componendos ibi motus ordinatum felix esse
dult, optat vero, se conferre aliquid ad hoc
negotium posse: verum quia parum omnino
auxiliis potest, consilio adest, optimumque
factu putat, si Belga obedientiam regi pre-
starent, & rex vicissim ipsis priuilegia con-
seruaret: inquisitionem crudelissimam ex
Belgarum finibus exterminaret, & transa-
ctionem publicam tueretur.*

Illustrissime Princeps, Domine & ami-
ce plurimum Dilecte. Litteras D.V. per
nobilem virum Georgium Branechum
redditas libentissime legimus, cum quod
ex iis singularem erga nos D. V. beneuo-
lentiam perspeximus, tum vero, quod D.
V. a Serenissimo Hispaniarum Rege ad
componendum toti Christianitati perni-
ciosissimas turbas iamdiu in Belgio ortas
ablegatam esse, cognouerimus. Quorum
alterum vt nobis gratissimum, ita alterum
longe iucundissimum fuit. Quamobrem
vt egregium hunc erga nos animum per-
petuo retineat, & a nobis contra omnia
amantissimi D. V. Principis studia expe-
ctet, etiam atque etiam rogamus: & sin-
cere atque ex animo precamur, vt ratio-
nes institutæ in Belgio pacificationis, ad
ampli-

amplificandam diuini nominis & honoris gloriā vergant: & Sereniss. Hispaniarum Regi, huiusque subiectis prouinciis, adeoque toti Christianitati salutares sint. Ac vtinam tantum in nobis consilii atque operis esset, quanta est pulcherrimum hoc & reipubl. Christianæ vtilissimum institutum promouendi cupiditas nostra, nihil equidem in nobis hoc in genere desiderari pateremur: vt qui ante omnia Sereniss. Hispaniarum Regis fortunas amplissimas esse, & huic subiectas prouincias in pace & otio abundare ex animo cupimus. Etsi autem minus fortasse, quam voluimus, hac in re præstare possumus, tamen cum D. V. etiam nostram de negotio hoc sententiam cognoscere cupiat: equidem pro nostra erga S. V. R. obseruantia & tuendæ eius dignitatis atque auctoritatis perpetuo studio nil aliud melius neque rectius hac in parte fieri posse existimamus, quam id ipsum, quod S. V. R. literis suis ad nos humanissime scriptis, se imprimis cupere significat & innuit: vti nimirum debitæ subiectionis atque obedientiæ studia atque officia Belgæ præstent: nihil illis in locis moueant, quod vel ad conci-

concitandas, vel ad motas iam antea turbas diutius etiam alendas occasionem præbere possit. Atque Sereniss. Hispaniarum Regem gloria & vtilitate, totiusque Christianitatis commodo atque salute recte & felicissime compositurum esse iudicamus: si et subditis priuilegia, quæ habent salua ac integra præstiterit, & inquisitionis, vt vocant, ante paucos annos in Belgium introductæ immanitatem compescuerit: eamque transactionem, quæ publica fide & auctoritate Regia anno sexagesimo sexto mense Augusto Bruxellis inita, & ad exemplum religiosæ pacis in Germania promulgatæ, constituta fuit, tueatur atque conseruet: nec patiatur, in his quicquid sit, nauari eorum, quæ hactenus impedimento fuerunt, quo minus pax & concordia salutaris & perpetua feliciter florere potuerint. Sic fiet, vt & Deo opt. max. suus honor; & Serenissimo Hispaniarum Regi ea libentissimis animis tribuantur, quæ tam ad tuendam auctoritatem Regiam, quam ad debitam subditorum obedientiam stabiliendam pertinent. Hæc autem, vti a nobis petit D. V. fideliter atque sincero erga S. V. R. studio

dio mouentur: ita vt D. V. pro singulari prudentia & integritate sua candide & in optimam partem suggesta accipiat, maiorem in modum diligenter rogamus. Et vt D. V. optime valeat, sibique persuadeat, se a nobis diligi valde & amari. Dresden XV. Cal. Mart. Anno LXXIX.

CIX. AD HVBERTVM LANGVETVM.

Augusto Langueti valetudo cura est: probat Elector conatus: inuitat eum ad studium scribendi res nouas, & qua ratione commode hoc fieri possit, precipit.

CUram nobis attulerunt litteræ tuæ, ex quibus cognouimus, te non satis belle valere.* Valde autem te recte valere cupimus cum tua, tum etiam nostra caussa. Porro significatum nobis est, quem sermonem cum negotiatoribus quibusdam Lusitanis Antuerpiæ habueris, ac sane volumus, te etiam amplius pro singulari industria & consuetudine tua caute & diligenter inquirere, & ad nos prescribere, quæ hominum rerum iudicatarum peritorum illic de Conrado Rotho

* Ex voluntate Langueti Epist. CLX,

EP. AD VARIOS.

239

tho Augustano , eiusque quam exercet , aromatica negotiatione sit opinio & sententia . Quoties autem tam de hac , quam de aliis rebus ad nos scribis , litteras tuas ad nos perferendas vel Georgio Spangenbergio Antuerpiensi trades , qui Ioannis Harii ærario nostro præfecti illic negotia procurat , vel cum habiturus es , cui recte dare possis , Norinbergam mittas ad Leonhardum Huefner , vel Augustam Vinde licorum ad Hieronymum Frasium , qui curabunt , vt tuto & sine mora nobis reddantur . Tu vt valetudinem tuam adflit tam diligenter cures , volumus . Etiam atque etiam vale . Ex arce nostra Anne burgensi IV. Cal. Mart. A.D. LXXIX.

CX. HVBERTO LANGVETO.

*Augusto curam adfert Langueti adficta va-
letudo : De cornu autem monocerotis accura-
tam designationem Elector poscit.*

ET si ex litteris , quas ad nos die mensis Aprilis decima septima Franco furto misisti , * non sine molestia cogno-

* *Hunc autem in modum scripsérat Languetus :*
Significatum mibi est , esse actum cum V. C.
de emendo cornu monocerotis , seu unicornis ,

cognouimus, te minus commoda valetudine vti, tamen cum hæc spes erat, te pristino vigori restitutum esse, quod, vt ita sit, optamus. De cornu monocerotis, quod Dux Billionii venditurus est, non est, quod quisque ex ea re apud nos in sinistram suspicionem vocetur. Etsi enim pro perpetua nostra erga Principes viros, & in primis erga Ducem Billionium, benevolentia atque studio D. eius rationibus consultissimum esse cupimus: tamen cum de emptione hac existimare non possumus,

vt vocant, quod habet Dux Billionii, & cogitur vendere ad dissoluendum & alienum, conflatum a suis maioribus. Quoniam videt protrahi hoc negotium ab iis, qui cum V. C. de eo agunt, metuit, ne alicuius sui emolumenti causa id studio faciant, & propterea petiit a me ante aliquot menses, - - - - Misit iam ad me expressam eius longitudinem & crassitatem in pictura, quam ad C. V. mitto. Scribit pondus esse septem librarum & decem unciarum Pariensium, que, vt mihi indicarunt mercatores, efficiunt paullo plus, quam septem libras Francofurtenses. -- Precium scribit esse viginti millium coronatorum. Ego ob afflictissimam valetudinem cogor &c. Ep. eius CLXIV.

simus, & intelligamus, cornu hoc, si o-
mnino ad alium Dominum peruenturum
est, quam plurimo venire, & eiusmodi
rerum cura minus adficiamur, designatio-
nem cornu illius rectissime habere cupi-
mus. Dresden Id. Maii Ao. LXXIX.

CXI. DVCI FLORENTINO
& in simili
DVCI FERRARIENSI.

Est commendatio Gregorii Richteri.

CVM subditus noster Gregorius Rich-
terus in Italiam studiorum caussa-
profecturus, & aliquandiu in D. V.
vrbe Florentina (Ferrariensi) commora-
turus esset, suppliciter nos rogauit, vt pro
ipso ad D. V. scriberemus, quo commo-
dius illic absque cuiusque iniuria viuere,
& ab omni molestia hominum tutus esse
possit. Etsi autem insignis iustitia & æqui-
tas D. V. & in primis erga hospites virtu-
tis & bonarum artium studiosos benignis-
sima voluntas nobis ita plane perspecta-
& explorata est, vt commendatio littera-
rum nostrarum subdito nostro non neces-
saria esse videatur: tamen vt constaret,
adolescentis huius conatus nobis probari,

Q

decesserat

deesse petitioni eius hac in parte nolui-
mus. Quamobrem a D. V. amanter peti-
mus, vt, quod alias etiam sua sponte fa-
ctura esset, Gregorium Richterum hunc,
quoties illi iusto patrocinio contra impro-
bitatem hominum opus erit, fauore suo
protegat, & ab omni vi iniusta tutum &
securum præstet. Erit id nobis gratum,
& ipse Richterus omnibus in rebus ita se
geret, vt gratia atque tutela D. V. se non
indignum esse comprobet. Bene valeat
D. V. Ex arce nostra Anneb. X. Cal. De-
cemb. Anno LXXIX.

CXII. AD PRINCIPEM ET SENATO- RES VRBIS VENETAE.

*Socii Thuringenses in negotio commercio-
rum decepti erant a Conrado Rhodo: pro-
pterea Aug. Venetos, qui facere plurimum
poterant, ad ferendum auxilium hortatur.*

SAlutem & operam nostram cum sin-
gulari benevolentia coniunctam D.V.
amanter & benigne deferimus. Illu-
strissime Princeps, Domine & amice cha-
rissime, Magnifici & amplissimi Senatores
in primis nobis dilecti. Conradus Rho-
dus ciuis Augustanus, qui haec tenus in Lu-
sita-

sitania & Olyssippone negotiatus est, spe-
 ciosis & splendidis promissionibus addu-
 xit clientes & subditos nostros, qui socii
 Thuringenses sunt, ut singularem pecuniae
 summam ipsi crederent: pro qua rece-
 pit debitor, se Chariophyllis nucibus,
 myristicis & huius generis aromatibus,
 satisfacturum; & ante omnia maximum
 piperis numerum in solutionem pecuniae
 creditae daturum esse: Hac cum fide &
 litterarum suarum obligatione interposita
 confirmasset, & grande argenti pondus
 a societatis Thuringensis procuratoribus
 in nundinis Francofortanis accepisset:
 fraudandi consilium iniit, solum vertit,
 & fidem datam fecellit: sic ut socii Thu-
 ringenses hominis huius leuitate & vani-
 tate circumuenti, summa necessitate adi-
 gantur, omnia Christiani orbis emporia
 adire, & per procuratores suos merces
 sibi a Conrado Rhodo iam antea addictas
 peruestigare, ne quid ex his cum magna
 iniuria & iactura ipsorum in alienas ma-
 nus perueniat. Hi itaque socii nobis si-
 gnificarunt; nauem misericordiae titulo,
 insignem ex Olyssippone in amplissimae
 reipublicae vestrae partem delatam fuisse.

Q²

in:

in qua ducenti piperis sacci portarentur, qui Conradi Rhodi nomine impositi es-
sent. Quanquam autem scirent, omne-
id, quicquid est piperis, ex lege contra-
etus cum Conrado Rhodo initi ad se omni-
no pertinere: tamen maioris etiam cau-
tionis gratia, se per procuratorem suum
Casparum Rempfium accedente auctori-
tate publica eius magistratus, cuius in ce-
leberrima vestra vrbe hæc est notio, arre-
sto subiecisse, vt omnem reliquis Rhodi-
anis creditoribus mouendæ controuersiæ
occasionem præciderent, & ad merces has
suas expeditissime peruenirent. Quod
vt eo commodius etiam obtinere possent,
submisso studio nos diligentissime roga-
runt, vt pro ipsis ad D. V. scriberemus.
Et si autem nos plane superfluum hoc es-
se arbitrabamur, propterea quod clarum
& maxima cum laude amplissimæ reipu-
blicæ vestræ notum sit, quemadmodum
iūs dici curet: tamen quia persuasum so-
ciis Thuringensibus erat, commendatio-
nem hanc nostram ad rem sine vlla inter-
iecta mora explicandam maximum apud
D. V. pondus habituram esse: probare
clientibus voluimus, ipsorum nos incom-
modis

modis adfici, & nihil prætermittere, quod
in negotio tam plano sua interesse quo-
quo modo putarent. Quamobrem cum
societatis istius caussa vehementer omnia
velimus, D.V. maximopere etiam atque
etiam rogamus, ut socios hos Thuringen-
ses, eorumque procuratores ab omni de-
trimento & molestia sinceros & integros
conseruet, nihilque cuiquam hominum
permittat, quo ius, quod in hac re ex-
peditum habent, intricetur, aut ducatur
longius: vel quia merces has suas iam an-
tea redemptas, & contra pacta conuenta
auersas iustissime vendicant, vel quia ad
consequendum id, quod suum est, legiti-
me vigilarunt. Postulat hoc commercio-
rum veneranda fides, qua florere coepit,
& ad summum fastigium merito suo per-
uenit potentissima vestra respubl. requi-
rit æquitas & iustitia Dilectionis & am-
plissimi ordinis vestri, quæ non patitur li-
tibus non necessariis peregrinos destineri.
Exigit denique nostrum quoque erga D.
V. & magnificam Venetorum urbem sin-
gulare & perpetuum studium: pro quo
abunde nobis satisfactum fuisse a D. V.
tum demum iudicabimus, quando com-

Q 3

men-

mendationem hanc nostram valuisse, & sociis Thuringensibus clientibus nostris profuisse plurimum intellexerimus. Beneualeat D. V. & a nobis omnia humanitatis & benevolentiae officia expectet. Datæ Dresd. Cal. Ian. Ao. LXXX.

CXIII. IOANNI BORGIAE in aula Imperatoria Regio Oratori.

Hisce litteris Aug. respondet iis, quibus Borgias feliores Regis sui in Lusitania progressus natos fecerat; namque Elector de præclaris Regis Hisp. victoriis gratulatur, ipsique plures adprecatur, deque his relationem desiderat.

LAETISSIMUM nuncium attulerunt nobis litteræ tuæ. Pro nostra enim erga Sereniss. Hispaniarum Regem perpetua obseruantia & mutua eiusdem erga nos benevolentia libentissime cognouimus, Ser. eius Lusitaniz regno potiri, eoque nomine tam Imperii Germanici amicissimo, quam Lusitanæ populis ex animo gratulamur. His equidem, quod in ius huius patroni transierint, qui virtutis & iustitiae laude in primis celebratur, & clientes suos magna æquitate & con-

tinentia tuetur; illi vero, quod in hoc tantummodo, quod tot vnde Lusitaniæ sceptro inhantibus consilio & virtute rem ita gesserit, ut bellum terra marique opinione hominum maximum paucis mensibus siue sanguine & cæde confecerit. Quam fortunarum accessionem S. eius R. feliciter euenire, & Lusitaniæ incolis salutarem esse, valde cupimus, & optamus, ut prouinciales Indiorum quoque populi ad auctoritatem Regiam se sponte sua conferant, aut si omnia arma potius quam benigitatem Regis optimi & fortissimi experiri malint, ut S. eius R. belli reliquias eadem alacritate & laude extinguat, ac improbos, contumaces & effrenes gentes pari successu in potestatem suam redigat. Quod ita fieri quamprimum vehementer cupimus: & a te benigne postulamus, & quod vltro polliceris, deinceps quoque nobis omnia, quæ porro gerentur, per litteras significes. Ut enim a te certiora de his rebus ad nos perscribi posse persuasum nobis est; ita tu hoc certum habeto, officium litterarum tuarum, ex quibus successus Regios cognoscemus, nobis gratum fore: & nos erga

Q 4

tebe-

te benignissime affectos esse. Bene vale. Ex aere nostra Anneburg. Cal. Feb. An. LXXX.

CXIV. DOMINO ALPHONSO DVCI FERRARIAE.

Elector scribit, se sententiam Ducis probe perspexisse, eamque sibi cura fore: tandem fatetur, filium Christianum, si forte iter in Italiā susciperet, nullius, quam Alphonsi hospitio usurum esse. Cetera.

CVM nos iter Danicum ingressi longius a ditionibus nostris abessemus, venit Dresden consiliarius & legatus D. V. Dominus Renatus Cottus cum iis mandatis, quæ D. V. illi ad nos perferenda dederat. Quem et si coram ut cuperbamus, audire non potuimus: tamen de omnibus, quæ D. V. nomine consiliariis nostris exposuit, certiores postea rediti sumus diligenter, adeoque inde facile perspeximus, D. V. nostri memoriam cum summa benevolentia non tantum fideliter retinere; sed cumulare etiam omnibus humanitatis atque amoris officiis. **Quamobrem** non iam, ut eundem erga nos animum perpetuo conseruet, rogamus;

mus; ne de constantia fortissimi Princi-
pis dubitare videamur: sed gratias po-
tius hoc nomine amanter agimus, & omni
nobis diligentia elaborandum esse existi-
mamus, ut expectationi D.V. pari amoris
atque obseruantiae studio satisfaciamus.
Quod cum in rebus omnibus, tum vero
in caussa hac maxime, quam D. V. nobis
iam antea per Dominum Renatum, &
nunc iterum diligentissime commenda-
uit, praestare valde cupimus. Quos por-
ro D. V. legatus de suauissimo filio nostro
rumores sparsos in Italia fuisse ostendit,
de his nobis nihil constat: at si aliquan-
do illi iter in Italiā suscipiendum esset;
nullius equidem hospitio & patrocinio
libentius vti vellemus, quam D. V. in cu-
ius amore atque benevolentia acquiesce-
re posset tutissime. Fuit præterea nobis
iucunda commemoratio illa necessitudi-
nis, quam D. V. legatus inter vtriusque
nostrum familias intercedere declarauit.
Hanc autem, vt nos perpetuis beneficiis
& studiis augere & tueri; ita D. V. feli-
cissimis rerum successibus gaudere animo
cupimus. Data Sverini in Megalopyr-
go XVII. Cal. Maii Ao. LXXX.

CXV. CHRISTIANVS EIDEM.

*His verbis Christianus incredibilem suum
amorem erga Flor. ducem palam facit.*

Serenissime Princeps, Domine & co-
gnate charissime. Ea est erga ma-
gnos heroes mea obseruantia, & pa-
ternas amicitias retinendi studium, vt al-
terutrum horum multum mihi animi ad-
dat ad colendum, & omnibus, quibus ma-
xime possum, rebus demerendum Excel-
sit. V. Quæ cum clarissimo viro, Domi-
no Renato Coto mandauerit, vt salutem
mihi diceret, & benevolentiam Excelsit.
V. erga me pluribus verbis declararet:
tantus ad voluntatem meam pristinam cu-
mulus accessit, vt antea dilexisse tantum;
iam vero vnice amare mihi videar Excels.
V. Cuius officium, quod mihi, si forte
Italiam inuiserem, liberalissime repræsen-
tari iussit, adeo gratum ac iucundum ac-
cidit, vt nullum gratias satis digne agen-
di modum inueniam. Itaque hoc tantum
maximopere & reuerenter rogo, vt Ex-
celsit. V. suam hanc erga me benevolen-
tiam perpetuo conseruet, sibique certo
persuadeat, cum esse me, qui Excelsit. V.

cum

cum ob multiplices & præclaras virtutes
miretur & suspiciat: tum vero propter
amorem erga me singularem omnibus
obseruantiaæ officiis studiose colat & am-
plexatur. Bene valeat Excels. V. Datae
Suerini in Megalopyrgo XVII. Cal. Maii
Ao. LXXX.

CXVI. AD DVCEM MANTVANVM.

*And. Pauli ad Duceum Sabaud. allegatur,
vt inde rebus confectis discedens ad Duceum-
Mantuam. se conferat, & ibi varia Princi-
pis sui nomine expediat: hic autem ut be-
nigne accipiatur atque audiatur, ha litteræ
rogant.*

CVm pro ea necessitudine, quam
cum Sereniss. Allobrogum domo
constitutam iamdiu habemus, hoc
tempore ad Dil. eius nobilem & clarissi-
mum virum consiliarium nostrum & fi-
delem nobis dilectum Dominum An-
dreas Pauli I^{CT}um mitteremus, vt is no-
stro nomine Dil. eius ea officia præstaret,
quæ summorum Principum liberis post
obitum parentum ac amicis & propinquis
tribui solent: benevolentia & amore er-
ga D. V. nostro impulsi, eidem præcepi-
mus,

mus, vt ex itinere instituto deflectens,
ad D. V. iret, & nostris illam verbis sa-
lutaret officiose, ac porro id, quod præ-
sentes de nostris rebus coram communi-
caturi essemus, inter nos idem expediat
ille & conficiat pluribus. Quamobrem
maximopere etiam atque etiam roga-
mus, vt hunc consiliarium nostrum D. V.
conuenientem ad se non grauate admit-
tat, & benigne audiens, nos audire putet,
sibique certo persuadeat, quæ de nostro
erga D. V. animo loquetur, ex nostro esse
profecta pectori, & huc spectare potissi-
mum; vt amicitia nostra, quæ officiis ab
utroque nostrum ante hac culta est, & co-
letur deinceps sanctissime, confirmetur
etiam vehementius. Quod, vt nos val-
de cupimus, ita gratissimum D. V. fore
animo confidimus, quam omnibus, quibus
gaudet, & delectatur rebus, abundare &
florere optamus maxime. Dresdæ VI. Ca-
lend. Februarii Ao. LXXXI.

CXVII. AVGVSTVS

Excellentissimo Principi, Domino HVGO.
NI de LVB: Verdalæ, magna Hospi-
tal is Hierosolymitani Ma-
gistro.

*Aug. gratulatur Principi bonorem, ut &
felicissima queque ipsi eueniant, optat.*

SAlutem D. V. dicimus, & operam no-
stram in omni officiorum genere,
promptissimam deferimus. Excellen-
tissime Princeps, Domine & amice cha-
rissime. Amplissimo Rhodiorum equi-
tum ordini semper tribuimus plurimum,
quod is pro Christiana republ. aduersus
immanissimos eius hostes in perpetua-
statione excubet, eaque persequatur bel-
la, ex quibus vera gloria nascitur. Quam-
obrem ut antehac non absque dolore ani-
mi cognouimus: non nihil importuni-
tate quorundam motum fuisse, quo for-
tissimus optimorum equitum ordo per-
turbaretur; ita iam lectis D. V. litteris,
quæ magni nobis fuerunt, duplici affecti-
sumus lætitia. Cum, quod turbas illas
sopitas esse, tum vero, quod D. V. ad fa-
stigium honoris, quod in hoc ordine
sum-

sumnum est, euectam fuisse, ex illis per-
 speximus. Tam itaque D. V. quam toti
 optimorum equitum collegio ex animo
 gratulamur: huic quidem, quod rebus
 contentione sociorum exacerbatis, eum
 ordinis sui Principem designaverit, qui
 eximia fortitudine, grauitate, prudentia-
 que sua & multo rerum vsu singulorum
 studia ad concordiam mutuam adducere,
 & præstanti magnitudine animi & con-
 sili rationes Mahumeticas frangere, &
 hostem hunc a republ. Christiana longis-
 ime abigere atque arcere possit: D. V.
 vero, quod summo omnium equitum stu-
 dio magnoque consensu eum dignitatis
 gradum consecuta fuerit, in quo de Chri-
 stianitate bene merendi, & nomen suum
 immortalitati consecrandi, maximam fa-
 cultatem a Deo maximo optimeque ha-
 bet. Omnia D. V. consilia pro salute &
 quiete reipubl. Christianæ suscepta fortu-
 nari valde cupimus: ac pariter ex animo
 optamus, vt D. V. magistratum hunc pro
 sua suorumque equitum gloria & com-
 modo publico feliciter administret, ea-
 que contra Christiani nominis hostem ge-
 rat, quæ ab omnibus summa cum admi-
 ratio-

ratione laudentur. Ad quam rationem si nos quoque aliquid adferre possumus, D.V. totique optimorum equitum societati omnem nostram benevolentiam, officia, curas & cogitationes pollicemur: adeoque D.V. rectissime valere, aduersusq; hostes Christianitatis victoria perpetua gaudere cupimus. Augustæ Vindelicorum Prid. Non. August. Ao. LXXXII.

**CXVIII. DOMINO PHILIPPO REGI
HISP. AVGUSTVS.**

Caspar Bornerus in Vlyssipone damnum frumenti fecerat, idque comes Ladronaus ipsi iniunxerat: hinc Augustus bisce litteris a Rege Hisp. contendit, ut frumentum redatur.

Qvia omnibus nota est nostra erga S. V. R. obseruantia; sic fit, vt clien tes nostri, quando comeatu & mercibus vtcunque S. V. R. ditiones & provincias augent, ea re etiam nobis se gratificari existiment. Itaque si ipsis ita bene & submisso erga S. V. R. & nos animatis incommode quid euenit, id æque ad nos pertinere arbitramur, ac si nobis ali quid aduersi accidisset. Vnde cum ciuis noster

noster Caspar Bornerus libello supplico
his litteris nostris insinuato ostendisset
nobis, immerenti sibi mille & octingen-
tos frumenti modios Magdeburgensis
mensuræ per comitem Ladronæum in-
Ulyssipone ademptos fuisse: ita nos eius
calamitas commouit, vt omnino scriben-
dum pro illo ad S. V. R. nobis esse dili-
gentissime statueremus: ac minime du-
bitaremus, quin S. R. V. quando cognouis-
set Bornerum hunc vnum ex nostris
clientibus esse, tam sua sponte, quam no-
stra caussa eum in fidem atque tutelam
suam benigne receptura, & comiti Ladro-
næo mandatura esset: frumentum omne
vt spoliato restituat, nullaque deinceps
re illi molestus esse perget. Id vt S. V.
ita faciat, & pro insigni iustitia & æqui-
tate sua clientem hunc nostrum patroci-
nio suo clementissimo tueatur; eique
potestatem in insula Peru secure negoti-
andi faciat, tanta contentione petimus,
quanta nobis pro cliente nostro S. R. V.
& nostri obseruantissimo contendere &
laborare par est. In quem quicquid S.V.
liberalitatis atque benignitatis contulerit,
id omne non modo in nos collatum, sed
rei

rei etiam publicæ delatum esse existimabimus ; cum quod ad officium nostrum pertineat, clientes nostros intelligere, res ipsorum nobis curæ & multum eis præsidii in nobis esse ; tum vero quod publice inter sit, commerciorum ius nequam violari, & horum vnu minime impeditum esse. Vtrumque ut cliens noster commendatione hac nostra consequatur, iterum & sæpius officiose rogamus S. R. V. quam omni obseruantia studio diligentissime colere, & rectissime valere, perpetuo cupimus. Data in arce nostra Lichtenbergiana Prid. Id. Octobr. Anno LXXXII.

CXIX. AVGVSTVS.

Domino IACOBO SEGVRIO PARDALIANO Nauarræ Regis Legato.

Hæc epistola res in religione conficiendas continet.

Quo successu mandata Regia in Dania, Megalopyrgo & Holsatia post abitum hinc tuum confeceris : ex litteris tuis summatim intelleximus. Inter ea nos de sententia Illustriss. Principis Domini Ioannis Georgii Marchionis Bran-

R den-

denburgensis Elektoris &c. consilium coepimus: sed deliberationis huius de concordia inter Theologos in vniuersum constituenda grauissima summam in vnius & alterius voluntate & potestate positam non esse, pro tua prudentia tute ipse nullo monente perspicis. Itaque omnino necessarium ad agendum tempus requiritur, cuius nos cursum & exitum expectare oportet, donec plurimum diuersa & procul dissita loca incolentium sententiæ exquirantur. Quod autem tu existimas, hoc negotium sine mora prolixiore in conuentu Roteburgensi expediri posse: id longe aliter se habet. Neque enim præter Vurtenbergicos, Brandenburgicos & nostros, vlli aliorum Euangelicam veritatem profitentium Principum legati fuerunt eo euocati, atque hi etiam vsque adeo nuper congressi, ut quid ab illis sit actum hactenus, plane adhuc ignoramus. Quæ cum ita sint, neque aliquid de tota re certi ad Sereniss. Nauarranorum Regem perscribi ante possit, quam eorum, quorum interest Principum suffragatio accesserit: recte quidem fecisti, & prudenter, quod huc e Dania non redieris.

ris. Frustra enim ad incertum casum laborem & sumptum impendisses: & quid aduentus tuus ad promouendam deliberationis vsque adeo late diffusæ celeritatem profuturus fuisset, non videmus. Bene vale, & nos tibi benigne cupere confidas. Dresden III. Non. April. Anno LXXXIII.

CXX. AVGVSTVS
HVBERTO LANGVETO.

*Commendatur Langheto caussa Sturmii,
Cl. enim vir nomina fecerat.*

Significatum nobis est, Ioannem Sturmium virum præstantissimum, magno ære alieno obstrictum esse, quod merito ab iis dissolui debebat, pro quibus ille fidem suam interposuit. Cumque facile existimari possit, hac cura & sollicitudine Sturmium non parum confici, qua ipsum, pro nostra erga tantum virum benevolentia & egregia ipsius virtute liberare cuperemus; suggestumque nobis sit, te rationibus ipsius aliquo modo prodesse posse. Itaque benigne postulamus, ut ad senatum & eos Galliæ processos, qui hac in parte plurimum & debent

R 2 & pos-

& possunt, litteris ipsis, caussam illis Sturmianam commendes diligenter, ac petas maximopere, vt de pecunia, quæ in ipso-
rum communem rem conuersa est, credi-
toribus satisfaciant & indemnem præstent
eum, qui maximis Galliæ periculis, cum
magno, vti iam apparet, detimento
suo fidele studium probauit iis, a quibus
illum deserì neque fides & constantia ho-
minum pietatem Christianam profiten-
tium patitur, neque eis, qui de indemniti-
tate Sturmio cauerunt honorificum, ne-
que imposterum Galliæ utile erit. Hoc
igitur negotium, si ex sententia no-
stra confeceris, optime de viro summo
mereberis, & nobis gratum feceris. Dres-
dæ Cal. Maii LXXXIII.

CXXI. AVGUSTVS

Domino VVILHELMO MVSAE de sancto
Clemente oratori Regis Hispaniæ.

Primum scribit Augustus, se litteras binas
ab oratore accepisse, deinde alias ad regem
Hispaniæ mittit, & tandem vult, vt VVil-
helmus Musa nouas res de rege suo prescri-
bat diligentissime.

Duas

Dicas vir magnifice, a te eodem tempore accepimus epistolas, quarum altera nos de Serenissimi & Potentissimi Hispaniarum Regis, Domini & consanguinei nostri amantissimi victoria, & classis Antonianæ ad insulam S. Michaelis dissipatione certiores fecisti: altera S. eius Regiæ litteras humanissime ad nos scriptas transmisisti. Vtrumque nobis longe gratissimum fuit: cum, quod laudi & gloriæ Serenissimi Hispaniarum Regis perpetuo faueamus: tum vero, quod nos S. eius R. gratulati sumus amanter, & quanti eandem faciamus, litteris ostendimus, quas, ut ad S. eius R. perferri cures, a te benigne cupimus. Et si nobis porro etiam gratificari voles, deinceps quoque ad nos de integritate valetudinis Regiæ & de rerum omnium successu, quem S. eius Regiæ prosperrimum optamus, sape & diligenter scribes, neque dubitabis, nos Serenissimi Hispaniarum Regis obseruantissimos & studiosissimos esse, & omnibus S. eius R. clientibus, ac in his tibi in primis benignissime cupere. Dresdæ X. Cal. Iun. LXXXIII.

CXXII. AVGUSTVS
AD GENVENSIVM REMPUBLICAM.

*Hæc epistola est commendatio Christophori
Haugvritii.*

Admiratione & celebritate amplissimæ Genuensium Reip. impulsus cliens noster Christophorus e nobili Haugvritiorum familia ortus, iter a nobis in Italiam suscepit, vt inter præsidiarios milites, quorum ope Charitati vestræ inservit, stipendia faciat. Etsi autem fide, industria atque virtute sua inter hos facile locum aliquem se reperturum esse confidat: tamen litteras quoque nostras veluti testimonium aliquod fortitudinis atque integritatis suæ, huc accedere voluit, quas nos illi, quum fauore & benevolentia charitatis vestræ dignissimum esse sciremus, negare non debuimus. Hunc igitur Haugvritium Charitati vestræ ita commendamus, vt virum nobilem, militem optimum & amplissimæ Genuensium reipubl. addictissimum, pro cuius salute, si ita res atque tempus postulet, neque in prima acie pugnare, neque saquinem profundere dubitabit. Quicquid igitur in-
dien-

clientem hunc nostrum liberalitatis atque benevolentiae Charitas vestra contulerit, id & collatum optime, & nobis gratissimum; tum vero reipub. Genuensi futurum erit fructuosum: quam nos fortissimorum virorum præclaris studiis perpetuo florere & Charitatem Vestram rectissime valere cupimus. Ex arce nostra Dresd. VII. Id. Iulii. Anno LXXXIII.

CXXIII. AVGVSTVS

Generoso & singulariter nobis dilecto Do-
mino GEORGIO a GEORGIIS Genuen-
sium reipub. in aula Augusta
oratori.

*Hic agitur de restitutione terrarum Mar-
chioni Finalii.*

Ex litteris tuis libenter intelleximus, inclyto Duci & ampliss. Genuensium reipubl. Domini Marchionis Finalii restitutionem magnæ curæ, & nostram erga eandem benevolentiam non obscuram esse. De cuius petitione, quod in proximis comitiis Augustæ, nisi Senatus Imperii Septemuiralis censuerit, & S. C. M. scripto exhibito suggererit: vti recenti memoria adhuc tenemus: ita suffragatio-

R 4 nem

nem totius collegii septemuiralis Domi-
no Marchioni ad recuperandam ditionem
suam maximo adiumento esse, cum antea
optauimus semper, tum vero iam iterum
Domino Ioanni Preinero in eadem nos er-
ga Dominum Marchionem permanere vo-
luntate ostendimus, ac plurimis verbis po-
stulauimus; uti pro ea, qua apud S. C. M.
plurimum potest, auctoritate efficiat, ne
æquitas Imperatoris quondam Maximilia-
ni II. sententia & Electorum Imperii con-
fensu approbata minus valuisse videatur,
quam quorundam priuatæ, neque satis iu-
stæ rationes. Quod, cum Dominus Preine-
rus facturum se diligentissime receperit,
significandum tibi esse putauimus ut sci-
res, nos ad gratificandum amplissimæ Ianu-
ensium reipubl. & ad commodandum Do-
mino Marchioni Finalii paratisimos esse.
Vale. Ex arce nostra Anneb. VII. Id. Iulii
Anno LXXXIII.

CXXIV. CHRISTIANVS
DOMINO MAVRITIO LANDGRAVIO
HASSIAE.

*Ser. memoriam quondam Christ. Parentis ea
qua pars est tristitia recolit, se tamen more Chri-
stia-*

*Riano erigit, & a Principe Hasia petit, vt suis
precibus apud Deum efficere velit, quo onus
regiminis nunc sibi impositum ferre posset:
tandem agit gratias pro affectu eius in hoc
casu conspicuo ac vicissim amicitiam & offi-
cia spondet.*

NOs vero cognate charissime, fateri
quod res est oportet, summum no-
bis luctum beati parentis nostri obi-
tum attulisse. Vix enim graue illud vul-
nus, quod ex morte materna acceperamus,
consenuisse nonnihil videbatur, cum idem
acerbisimo hoc casu plane recrudesceret,
& moeror tanto cumulo augeretur, vt nos
penitus oppressurus fuerit, nisi filii Dei
vox nos confirmasset, qua asseueratur, ne
minimum quidem capillum e vertice no-
stro absque Dei voluntate effluere posse.
Hinc cum certi essemus, beatum paren-
tem nostrum a Deo ad æternam lucem ex
his mundi caduci tenebris euocatum esse:
Divino quidem consilio ita refragandum
non erat, vt quisquam nos putaret, non,
tam desiderium parentis adempti ægre-
ferre, quam felicitati eius, qua iam in
coelis animus illius fruitur, inuidere.
Quamuis autem cum eo præclare actum

R 5 esse

esse intelligamus, quod spe atque fiducia omni sua in merito IESU Christi penitus fixa, ludibria huins viræ cum coelo commutauerit, tamen hæ cogitationes nostræ saepius impediuntur, cum consideremus, quanta nos hic relicti non tantum in rerum omnium perturbatione, & metu periculorum impendentium versemur; sed quam graue etiam onus eius personæ, quam ipse magna cum laude bonorum omnium in Imperio Germanico gesit, nobis deinceps subeundum sit. Id vero ut sustinere possimus, D. V. ita nobiscum castas preces & pia vota coniunget, vt nostræ consolationis cogitatione opitulatur, versibus & litteris suis amantissime scriptis: ex quibus facile potest perspici, quanti beatum parentem nostrum semper fecerit. De cuius erga totam Illustriss. familiam Hassiacam olim benevolentia, & qua in primis, dum viueret charitate D. V. complexus fuerit, etiam pluribus scripturis eramus, nisi verendum nobis esset, ne Principis quondam D. V. amantissimi desiderium, quod in litteris & versibus D. V. elucet, etiam magis incendamus: hoc igitur agamus deinceps, vt paternam amicitiam

citiam nobis quasi per manus traditam
mutuis studiis & officiis colamus , iisque
communem solemur dolorem. Quod sa-
ne de D. V. speramus , & de nobis eidem
repromittimus. Bene valeat D. V. vt in
laudabili illo studiorum suorum pulcher-
rimorum cursu felicissimos progressus fa-
cere & paternas laudes virtutibus suis ex-
haurire possit. Dresdæ Id. Martii Anno
M. D. LXXXVI.

CXXV. CHRISTIANVS DVX SAXO-
NIAE DOMINO FRANCISCO MA-
GNO HETRVRIAEC DVCI.

*Hetrurie Dux scripsérat antea S. R. Impe-
rii iacturam per Augusti mortem factam ,
nunc per Christiani successionem esse recupe-
ratam. Quam spem se impleturum Chri-
stianus promittit.*

GRauissimum iudicium de nobis D.
V. facit , cum & in litteris suis , &
in sermone , quem Horatius Urba-
nus ad nos pertulit , non tantum eam ia-
cturam , quam Sacr. Rom. Imp. in funere
beati patris nostri fecit , successione in de-
functi locum nostra resarciri posse osten-
dit , sed nos etiam in benevolentia posse-

fio-

sionem suæ collocat, qua olim beatum parentem nostrum prosecuta fuit. Atque ut amoris sui deinceps in nos transferendi egregiam & propensam voluntatem mutua benevolentia nostra nos posse perspicere confidimus: ita omni cura & diligentia etiam atque etiam contendendum nobis erit, ut opinionem, quam D. V. de nobis honorificam habet, meritis nostris comprobemus. Quamobrem nihil unquam prætermissuri sumus, quo vel hanc Rom. Imp. dignitatem sustinere, vel nostrum erga D. V. singulare studium declarare poterimus. Idque satis arbitrati sumus rescribere D. V. hoc tempore, quo a nobis Horatius Urbanus proficiscitur, cui pluribus verbis coram exposuimus, quæ ipsum D. V. de nostro erga eandem animo referre volui-
mus. Ex hoc igitur ut cætera cognoscat & nobis suam perpetuo benevolentiam conseruet, maiorem in modum rogamus D. V. quam recte valere & rerum successu lœtissimo gaudere, amanter cupimus & optamus. Dresdæ Calend. Iun. LXXXVI.

**CXXVI. DOMINO IACOBO SEGV.
RIO.**

*Elector accipit excusationem Segurii,
quod præpeditus valetudine mandata regia
non ipse exhibuerit, hoc enim minus fuisse
necessarium ostendit, aliasque litteras regi
Nauar. tradendas mittit.*

Non tantum excusationem tuam,
qua vteris, quod mandata regia ad
nos ipse non pertuleris benigne ac-
cipimus: sed rectissime te etiam fecisse
existimamus, cum res omnis, tam ex re-
giis quam ex tuis litteris liquido perspici
possit, quod febri quartana iactatus illinc
te non moueris, neque alienissimo anni
tempore cum manifesto adfictæ valetudi-
nis periculo, adeo longe te itineri com-
miseris. *Quia S. Nauarreorum Rex*
eadem de rerum Gallicarum statu atque
voluntate sua nobis significauit, quæ tu
quoque litteris es complexus: nos S. eius
R. vti nostræ rationes fuerunt, amanter &
fraterne respondimus, easque litteras Do-
mino Iacobo Bongarsio cum his ad te per-
ferendas dedimus: quas vt porro S. R.
reddendas cures, benigne postulamus a te;
quem,

quem , valetudine pristina recuperata ,
conualescere quamprimum cupimus , &
beneuolentia nostra complectimur. Dres-
dæ IV. Non. Febr. LXXXVII.

CXXVII. AD LVDOVICVM DVCEM
VVIRTENBERGENSEM.

*Hec epistola est commendatio pastoris cuius-
dam officium capessentis.*

O Vi hisce D. V. offert litteras Mar-
tinus Hondelsted. Rigenſium qui-
dem in praesentia pastor est , sed &
antea annos complures verbum Dei in-
Gockenhausen fideliter docuit : quemad-
modum ex Rigenſium testimonio probe
cognouimus. Is nostram ad V. D. interces-
sionem submisse petiit , plane confidens ,
se aliquot iugera agrorum , aut aliud sub-
ſidium hac ratione impetraturum , quod
fane pietatis iuxta ac humanitatis officium
ipſi denegare non debuimus. Nam & ci-
uis noster honesto loco natus , & in Aca-
demia nostra non sine dispendio rei fami-
iliaris educatus est , quem & ipsum in com-
muni Liuoniae calamitate captiuum , ab-
ductum & septennium integrum squalore
carce-

carceris maceratum , tandem fortunarum omnium naufragium fecisse accepimus , vsque adeo ut præter vitam (quæ ob extreemam egestatem & numerosam sobolem manumisso supplicii loco) nihil fere sit reliquum . Commendamus itaque hominem , quem omnium bonorum fauore & commiseratione dignum iudicamus . Amanter orantes , vt eius negotium V. D. sibi curæ esse patiatur , atque id agat , vt intelligat , nostras apud V. D. literas magnum pondus habuisse . Fecerit V. D. rem suo loco atque officio dignissimam , præterque quod nos V. D. vicissim omni studiorum genere deuinxerit . Vale . Torgæ XVI. Calend. Octobr. MDLXXXVIII.

CXXVIII.

His Epistolis addimus commendationem , fratribus Goebelianis ob nobile quoddam in argento signando inventum ab Aug. liberuisse datam .


Nos Aug. Dei gratia Dux Sax. vniuersis ac singulis cuiuscunque dignitatis & ordinis hominibus has litteras nostras lectoris inspecturisue constare & notum esse volumus . Ioannem & Casparum

sparum Goebelios fratres germanos, quorum alter Illustriss. Borussiae Ducis ærario præfetus, alter ciuis Gedanus est, nobis preli formam obtulisse, quam magnis fratrum istorum sumptibus, & sagaci artificis ingenio ita fabrefactam cognouimus, ut tam arte, quam structura differret ab omnibus aliis machinis in Germania ad hoc vsque tempus ad argentum sub prelo signandum usurpati, quas compendio & commoditate sua ita superat, vt in hoc genere nihil simile extitisse vñquam vide ri possit: quandoquidem istius Goebelianæ machinæ vsus, modo homines idonei & in re monetali non plane imperiti ad hibeantur, vsque adeo sit expeditus, vt diuturna monetariorum opera, tantum numerum omnis sortis imaginibus bellissime expressis, produci queat, quantum alias viginti hominum labor, si malleores peragenda esset, non posset repræsentare. Quamobrem cum Goebelianis fratribus, quorum impensis pulcherrimum hoc opus concinnatum & absolutum fuit, merito omnis illa vtilitas, quæ inde ad eos redire poterit, quibus monetæ cu den dæ ius est, accepto feratur: æquissimum nobis

nobis visum est, eorum, qui machinæ hu-
ius modum omnium primi nobis com-
monstrarunt, precibus annuere: adeoque
illis litterarum nostrarum hac de re testi-
monium communicare: ne forte, quæ sæ-
culi huius est improbitas & impudentia,
fuci & temerarii nonnulli homines alienis
studiis & sumptibus repertam hanc artem
sibi vendicent, & iusta laude atque emolu-
mento debito defraudent eos, quorum cu-
ra & impensis opus hoc utilissimum pro-
diit. Quæ cum ita sint: vniuersos & singu-
los officiose, amanter & benigne, prout
postulat vnius cuiusque conditio, rogamus,
& requirimus, vt hanc litterarum nostra-
rum testificationem apud se valere pluri-
mum finant, & Goebelianos fratres fauore
& benevolentia complecti atque tueri ve-
lint. Quæ ex re non modo fructum & volu-
ptatem magnam capient, sed nobis etiam
qui Goebelianos fratres commendatissi-
mos omnibus esse cupimus, gratissimum
facient. In cuius rei fidem litteras has
nostras chirographo & sigillo nostro mu-
niri placuit. Quæ datæ sunt Anneburgi
N. N.

S

IN-



INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

- Alenus Richard. Angliae legatus X. p. 24
 Alphonsus, Princeps Finalii LXXV. p. 181
 Ambrosii, Sebast. institutum de perferen-
 dis ad Augustum literis. LXXX. p. 191
 Angliae Regina non sumit vectigal ab Augusti
 mercibus. XVII. p. 43
 Augustus se excusat, quod non possit opem fer-
 re Henr. regi Galliae ep. I. p. 1.
 Augusti gratulatio ad regem Galliae de pace
 II. p. 4.
 Augustus gratias agit pro gemma missa a rege
 Galliae V. p. 10.
 Augustana confessio cui & quando exhibita
 XV. p. 38
 Augustanam confess. Pontificii traducunt. XV.
 p. 39.
 Augustana confessio a calumniis vindicatur.
 XV. p. 40
 August. confessio amplectenda. XV. 43
 Augustus latatur de victoria regis Pol. XXXI.
 p. 84
 Augustus Elector Regi Pol. mutuo dat quin-
 qua-

INDEX RER ET VERB.

- quaginta millia florenorum. XXXIV. p. 90
Aula Ducis Sab. laudatur. LVIII. p. 142
Augusti consilium in causa Sabaud LXII. p. 148
Augustus nequit interessere comitiis. LX. p. 145
Augustus caussas affert, cur legatum Ducis
Sab. non potuerit audire. LXIII. p. 149
Augustus gratias agit pro donis a Duce Sabau-
dæ missis LXIV. p. 152
Augustus luctum suum testatur de morte Sa-
baudiæ Ducis LXXII. p. 166
Augustus gratulatur Sab. Duci de suscepto re-
gimine LXXII. p. 171. & seqq.
Aulæ Sabaudicæ descriptio LXXIX. p. 180
Augusti mors beata LXX LXXVII. p. 186
Augustus non vult emere statuas & numismata
Viennæ venalia LXXVIV. 195
Augustus studium suum exponit regi Hisp.
LXXXVI. p. 198
Augusto displicet consilium Casimiri de ex-
peditione in Belgium. XCIV. p. 213
Augustus selatur Ducem Florentiæ ob amis-
sam conjugem. XCVIII. p. 218
Augustus monstrat, quæ in primis studia amer.
XCIX. p. 222
Augustus magnam adhibet operam in caussa
Marchionis Finalii. C. p. 222
Augustus gratias agit Duci Ferrar. pro missis
ornamentis parietum, CI. p. 224.
Augustus est studiosus Alchymist. CIII. p. 228
Augustus monet, ut rex Hisp. reddat priuilegia
Belgis. CVIII. p. 237

S 2

Augu-

INDEX RERVM

- Augustus accurate vult designatum cornu monoceroris. CX. p. 239. & seqq.
- Augustus gratulatur equitum Rhodiorum ordinis honorem. CXVII. p. 253. 254
- Augustus ad Wilhelmum Musam, oratorem regis Hisp. scribit. CXXI. p. 260.

B.

- Bauarus, Ioh. consiliarius Ducis Holsat. XXX.
p. 81
- Bellum intestinum in Gallia quomodo sedandum. VI p. 13
- Bellum regis Pol. contra Moscouitas. XXIX.
p. 80
- Bellum poscit sumtus. XXXI. p. 87
- Bellum regis Polon. contra Moscouitas quare initum. XXXIX. p. 102
- Bellum quare geratur. XLV. p. 115
- Beringhusius, Iohannes petit hæreditatem in Polonia. XX. p. 88
- Bernhardus, comes Hardechius. XCVI. p. 217
p. 190
- Berous, Petrus, hæreditatem petens in Sabaudia, commendatur ab Augusto. LXVII. p. 159
- Bizarus Augustam linquere debet. LXXXIX.
- Boccius, Abrah. in Pollach. consiliarius. XVII.
p. 64
- Bongarsius, Iacobus, CXXVI. p. 269
- Bornerus, Caspar, CXVIII. p. 256
- Brand, Erasmus. IX. p. 23

Brane.

ET VERBORVM.

- Branechus, Georgius, CVIII. p. 235
Brunsvicensis controuersia. XXXIX. p. 104
Bunauius, Henricus. IV. p. 8
Buringius, Ioh. eripuit quasdam arces Ducis
Hols. XXX. p. 82
Buzinski, Ioh. legatus Polon. XXXII. p. 88

C.

- Caluicius, Sigismundus, minister Augusti.
XIX. p. 55
Camillus Gallicus. LXIII. p. 149
Christianus, Elector de auxiliis regi Galliæ
mittendis nihil scit. VIII. p. 18
Christianus Princeps, Augusti filius in Italiam
profecturus commorari debet in aula Ducis
Ferrariæ. XIV. p. 248
Christophorus, Dux Megapolensis petit sti-
pendium annum ab ord. Pol. LV. p. 136
Clemens Artus ab Augusto commendatus,
militare vult sub rege Polon. XLIT. p. 114
Clericorum inquisitiones. ibid.
Comitiis interesse nequit Augustus Elector.
LX. p. 145
Concilia oecumenica quot. XV. p. 41
Concordia inter theol. quomodo ineunda, de-
liberandum. CXIX. p. 258
Conuentus Roteburgensis. CXIX. p. 258
Cracovius, Reinhardus, III. p. 5.
Cramerus, Hieronymus in Indiam profecturus,
commendatur ab Augusto ad regem Lulit.

INDEX RERVM
LXXXVIII. p. 200

D.

- Delus, Robertus. XIV. p. 31
Deus tuetur Lutheranos contra Pontificios.
XIV. p. 34
Donenses Barones restitui volunt in bona.
XLIV. p. 123
Dux Finalii confirmatur ab Augusto in proposito, tuendi ius suum. XC. p. 206

E.

- Emdenus, Iohannes legatus XC. p. 206
Epistolæ consolatoria exemplum elegans. LVI.
p. 137. & seqq.
- - exemplum consolat. vide XCVIII. p.
219. CXXIV. p. 264 & seqq.
Equitum Rhodiorum ordo quid agat, vide
CXVII. p. 253

F.

- Furstenbergii, Jacobus & Rudolphus, fratres
petunt in Polonia hæreditatem. XX. p. 58. 59

G.

- Georgius Fridericus, Marchio Brandenb.
XXII. p. 64

Göbe-

ET VERBORVM.

Göbelii , Ioh. & Casp. commendantur.
CXXVIII. p. 172.

Gratulatio Augusti de pace in Gallia. II. p. 4
Gratulatio ad Principem sub auspicio suscep-
ti regiminis non inelegans habetur ep.
LXXII. p. 171. & seqq.

Eiusm. gratulatio legatur. LXXIII. p. 171

Gratulatio de recens nato Principe. LXXVIII.
p. 189

H.

Hallerus vult sibi tradi stipendium a Duce Sa-
baudiæ. LVII. p. 140

Harrus , Ioh. quis? LXXX. p. 91

Haugvvitius , Christophorus, commendatur.
CXXII. p. 262

Heningius , Gothardus , detrahit hæredita-
tem aliis. XX. p. 59

Henningi , Salomonis Chronicon interdici-
tur. LI. p. 178

Henricus IV Galliæ rex debet soluere pecuni-
am, quam debet IX. p. 29. 30. & seqq.

Hispaniæ Regem vt Belgas clementer tractet,
monet Augustus. CVIII. p. 237

Hispaniæ regi, debellanti Lusit. gratulatur Au-
gustus. CXIII. p. 240

Hondelstedt , Martinus , CXXVII. p. 270

Hungariæ sunt latæ suppetiæ contra Turcam.
IX. p. 22

INDEX RERUM

I.

In bello iusto parcitur foeminis. XIX. p. 56
Inuentum nobile in argento signando.

CXXVII. p. 272

Io. Casimiro, Rheni Palarino quid apertum
sit ab Electore, vide VIII. p. 18

Io. VVilh. Dux Sax. IX. p. 20

Io. Dux Sax. X. p. 22

Io. Georg. March. Brandenb. nuptias cele-
brat cum Anna, Suecica Infant. LII. p. 131

Julio, Brunsuicens Duci, soluat senatus Lips.
pecuniam debitam. LIV. p. 134

L.

Languetus, Hubertus de itinere Imper. scri-
bere debet. LXXXI. p. 191

Idem Francofurtum proficisciendi veniam
accipit. LXXXII. p. 193

Lascius, Albertus, debet pecuniam. XLVI.
p. 118

Legati munia pleraque inuenies. LXXII. p. 165
& seqq.

L. gati sermo sit penetrans. LXXII. p. 173

Leschnitius, Raphael, debet summam pecu-
niæ. XLII. p. 109

Liuonia vastata. XXVIII. p. 77

Locferus, Georgius, equites suis impensis ad-
ducit

ET VERBORVM.

ducit. III. p. 5

- - in Gallia stipendia debita exigit. III. p. 5

Lopez, Petrus, quis? XCV. p. 215

Loueneitus, Phil. optime commendatur.
LXX. p. 68

Lugere immoderate non debemus cognatos.

XCVIII. p. 220

M.

Magno, Duci Holsatiæ, eruptæ quædam arces
in Liuonia. XXX. p. 82

Marlarus, Guilielmus, sponsam suam ducere
renuit. XII. p. 30

Maximiliani Imperatoris mens in caussa Sa-
baud. LXVII. p. 158

Maximil. II. Imper. CXVIII. p. 264

a Mendoza, Io. Franciscus, orator regis Hisp.
LXXXVI. p. 197

- - Augustus gratulatur de reditu in Hisp.
LXXXVII. p. 199

Miles fortis describitur. XVI. p. 61

Milites qui sunt legendi. XXVIII. p. 78

Misnacomas, Io. commendatur regi Pol. L.
p. 125

Moller, Laurentii, chronicon prohibetur legi.
LI. p. 128

Monocerotis cornu vendere vult Dux Billio-
nii. CX. p. 240

S 5

Mori

INDEX RERVM

- Mori beatae quid sit. LXXII. p. 170
Mors placida & beata. LXXVII. p. 186
Moscouitæ debellati a rege Polon. XLIII. p. 113
Musa, VVilh. orator regis Hisp. accipit epistola
Iam ab Augusto. CXXI. p. 260

N.

- Niphus, Marcus Antonius, medicus Italus.
LXXXIV. p. 194

- Papa aduersatur Euangelicis. XV. p. 45
Papa auxit Mediceam familiam titulis. LXVI.
p. 157

- Pauli, Andreas, consiliarius Augusti ablega-
tur in Sabaudiam. LXX. p. 162

- Pauli, Andreas, ICtus. XXII. p. 64

- Periculum exponitur ex inuasione Turcarum
ortum. IX. p. 19. 20

- Petitio Principis ad alium quomodo debeat
institui. CII. p. 226

- Pontificii Luth. religionem extinguere conan-
tur. XIV. p. 33

- Præuso, Georgio, ut reddantur erepta prædia,
petit Augustus. XLV. p. 115

- Præces Electricis pro christiana Eccles. XVI.
p. 41

- Preicuerus, Ioh. CXXIII. p. 264

Prin-

ET VERBORVM.

Princeps bonus & pius , qua ratione laudan-
dus. LXXII. p. 168

Princeps , quibus virtutibus debeat ornatus
esse. XCII . p. 212

Principum aula debet abundare probis & fi-
delibus ministris. LXXI. p. 164

Puella in via publica interfecta. XIX. p. 56

Queisius , Simon , regis Pol. castra sequi cupit.
XXVIII. p. 77

Raceborus Fridericus exigit pecuniam debi-
tam. XLII. p. 109

Raucherus, Georgius commendatur. LXXXIV.
p. 204.

Reiboldum , Io. in vincula coniectum anni-
titur Augustus liberare. CII. p. 225

Renatus Cotus , consiliarius ducis Florentiae.
CV. p. 231. CXIV. p. 248

Rhodius, Georgius , ciuis Lipsiensis. XLI. p. 108

Richterus , Georgius commendatur. CVI. p.
241

Rothus , Conradus , Augustanus. CIX. p. 239.
CXII. 242

S.Sab-

INDEX RERVM

S.

- Sabaudiæ Dux mittit Augusto dona. LXIV.
Ap. 152
- Sabaudiæ Dux quod præferendus illis , qui ex
Médicea domo , ostenditur. LXVII. p. 157
- Sabaudiæ Dux , Emanuel Philibertus moritur
prorsus intempestive. LXXII. p. 167
- Eiusdem Ducis Iaus. LXXII. p. 168. & seqq.
- Sabaudiæ Dux reliquit testamentum. LXXII.
p. 174
- Sabaudicæ aulæ descriptio. LXXIV. p. 180
- a Salues , comes & orator Hisp. ægrotat. XCI.
p. 207
- Sardiugium , Stanislaum , Augustus solatur.
XCVI. p. 217
- Scharffenbergii , Nicolaus & Stanislaus , fra-
tres , Cracouenses Bibliopolæ. XLI. p. 108
- Schombergius , Caspar IV. p. 8
- a Sebottendorff , Damianus , consiliarius. C.
p. 223.
- Scytharum minæ I. p. 2
- Segurius , Iacobus. IV. p. 16
- Sigismundus III rex Pol. dicit Annam Au-
striacam. LII. p. 130
- Simon Simonius , Lucensis , prof. Medic. Lips.
XCIX. p. 221
- Socii Thuringenses decepti sunt a Conrado
Rhodo. CXII. 242. 243
- Sola-

ET VERBORVM.

Solatium vnde sumendum in luctu. LXXII.

p. 170. 171

Solatium in morte parentis quale sit optimum.

LXXVII. p. 187

Stanschedelius, Georgius, quis sit. LVIII. p.

141

Stanschedelius, Balthasar, commendatur.

LXXIV. p. 179

Staupitii, Henrici, hæredes exigunt pecuniam
debitam. XLVI. p. 118

- - - hæredes arcem Schmiltenam sibi re-
stitui volunt. XLVII. p. 120

Stephanus, rex Polon. tradit obligationem Au-
gusto pro pecunia mutuo data. XXXVI.

p. 95

Stradomsius, Andreas, ademit pretiosa Misna-
como ob vestigal neglectum. L. p. 125

Sturmius, Io. Argentor. laudatur egregie.

XCII. p. 194

Sturmii causa commendatur Langueto. CXX.

p. 260

Subditi Augusti extra prouinciam ire prohi-
bentur I. p. 2

T.

Thomas ab Embden postulat stipendia mili-
taria sibi promissa. XXI. p. 61. & seqq.

Tirnauiensis ciues ut in relig. Euangel. quieti
esse

INDEX RERVM

esse possint, rogat Augustus Imper. LXXXV.

p. 196

Turcarum minæ. I. p. 2

Tyrannis Pontificia quomodo euitanda VI.

p. 14

V.

Vaudanus, Franciscus LXIV. p. 152

Vaudanus iubetur proficisci ad Elec̄t. Erand.
LXV. p. 154. deinde Norimbergam. ibid.

Vectigal qua de re non sit soluendum. L.p.116

Venetorum resp. per commercia caput extulit.
CXI. p. 245

Victoria describitur. XXXI. p. 86

Vrbanius, Horatius, CXXV. p. 267

Z.

Zibecerus, Paulus, moritur, eiusque fratres
hæredes commendantur ab Augusto. CIV.

p. 229



V.

VI.

d.

26
it,

es

V.

I

T

16-29709

8

ULB Halle

004 927 516

3



MIC


131

enii
Ban-

Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

B.I.G.



DAVIDIS PEIFERI
CONSILIARIIS SAXONICI
EPISTOLAE
PVBLICO NOMINE SCRIPTAE
STATVM ECCLESIAE ET REIPVBLI-
CAE SVB AVGVSTO SAX-
ONIAE ELECTORE EGRE-
GIE ILLVSTANTES
PRIMVM NVNC EDITAE
CVRA
M. FR. GOTTH. GOTTERI
RECTORIS EISENBERG.
PRAEFATIONEM PRAEMISIT
IO. FRANCISC. BVDDEVS
THEOL. D. ET P. P. O.



IENAE
SVMT. HENR. CHRSTOPHORI CRÖKERI BIBL.
M. D. CC XXI.